De fontibus ad Tiberii historiam pertinentibus.

46145

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE UTRAQUE
FRIDERICA HALIS CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVIII. M. APRILIS MDCCCLXXIV

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS THAMM

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CAROLUS HIRSEKORN, CAND. PHIL.

OSCAR SCHOLZ, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM MDCCCLXXIV.

TYPIS EXPRESSIT PH. TSCHOERNER STRIGOVIAE.

De Tiberio quamquam non pauci sagacissimorum et doctissimorum virorum velut Gibbonius et Merivalius scripserunt et judicaverunt, tamen non contigit, ut de principe illo sententia inter omnes constaret. Maxime autem distant judicia, postquam Stahrius librum illum notissimum edidit, in quo Tacitum acerrime aggressus est, pro quo non minus vehementer Eduardus Pasch disseruit (Altenbgi. MDCCCLXVI). Huic autem certamini immiscere nolumus, sed alia via ingrediemur, ut quasi firmum fundamentum ponatur. Quod ut adipiscamur, oportet historicorum, qui de temporibus illis scripserint, artem et consilium testesque exquiri, ut sic reperiatur, unde vera et falsa in Tiberii historia tradita quam maxime discerni possint. Auctorum autem talis investigatio magis necessaria est, quia quod ad inscriptiones aliaque monumenta attinet, jam exploratum est, quibus quanta fides habenda sit. Jamjam quidem mox post Stahrii librum viri docti prius fontes auctorum illorum explorandos esse cognoverunt quam de Tiberio judicari liceret. Itaque a Carolo Augusto Knabe fontes historiae imperatorum Juliorum (Diss. Halis MDCCCLXIV) explorati sunt. Sed tantum obiter et leviter accurata auctorum comparatione omissa hanc rem perpendit et exposuit. Deinde autem Carolo Nitzschio viro illustrissimo auctore dissertationes duae in lucem editae sunt, in quibus de fontibus ad Tiberii historiam pertinentibus actum est, quarum unam Henricus Reichau (Regiomontii MDCCCLXV), alteram Antonius Schroeder (ibidem MDCCCLXVIII) composuit. Schroederianae autem tantum prima pars typis expressa est, in qua de auctorum genere scribendi et auctoritate locutus est. Quam ob rem ad dijudicandas

quaestiones nobis propositas non gravioris momenti est. Nuper deinde Johannis Froitzheim Norimbergensis Bonnae (MDCCCLXXIII) dissertationem edidit de Taciti fontibus in libro primo annalium. Sed in his acquiescere non possumus, quod Reichau graviora quaedam praetermisit et nonnunquam — hoc jam Schroeder reprehendit — celerius dijudicavit quam licuit et certius locutus est quam res poscebant. Froitzheimiana quidem dissertatio est admirabili sagacitate et dilucida oratione, sed cum tantum libri primi fontes exploraret, non satis certe judicare potuit. Tamen libenter ejus sententiam de bellorum Germanicorum a Tacito traditorum fonte sequar. Non semper autem quae conjecit comprobare possum aliorum librorum ratione habita. Sed priusquam ipsi fontium disquisitioni studemus, pauca antea nos loqui oportebit de temporibus auctorum, qui Tiberii principis historiam tradiderunt, deinde de genere scribendi, quod in illis invenimus, de quibus agetur, in Vellejo Paterculo, Cornelio Tacito, Suetonio Tranquillo, Cassio Dione.

Unius tantum aequalis opus ad nos pervenit, ex quo vitam Tiberii Caesaris cognoscere possumus. Dico Velleji historiae Romanae ad M. Vinicium consulem libros duos. Qui titulus jam nos docet, quo tempore hoc opusculum perfectum sit. Spectat enim ad annum, quo M. Vinicius consul erat. Nec minus quantum temporis Vellejus in scribendo versatus sit, ex ipso scimus. Semper enim illum Vinicii consulatum alludit (I, 8; II, 36; II, 49; II, 103; usus sum editione Teubneriana, qualem Fridericus Haase recensuit). Unde conjicere licet ab auctore opusculum illud inter paucos menses anni illius esse perfectum. Non levis momenti hoc mihi videtur. Nam hujus rei memores neque severius Velleji libros dijudicabimus neque ab eo postulabimus, quod in opere omnibus numeris absoluto exquirimus. Ex alia etiam causa intellegi potest quanti aestimandum sit, accuratius quod de tempore docemur. Tunc enim Sejanus favore Tiberii summo fructus est vel frui visus est. Princeps autem Romam jam non intravit, sed in insula sua abditus vixit solus non sine sua ipsius culpa, hominum conspectui detractus. In urbe sine ullo aemulo praefectus praetorio dominabatur. Omnes ei inserviebant.

Plane commutatae erant res illo tempore, quo secundum illud opus nobis conservatum in lucem prodiit. Taciti annales aut penultimo aut ultimo Trajani principis anno editi sunt. Quod haud dubie Carolus Nipperdey demonstravit in praefatione sua ad editionem Taciteorum annalium Weidmannianam praemissa (Berol. edit. IV, Tom. I MDCCCLXIV). Auctor enim ipse II, 47 dicit tum imperium Romanum maximum fuisse latissimeque patuisse. Nec mirum est, quod ob hanc rem superbia quaedam nobilis auctori nostro propria est. Nec mirum, si priorum Caesarum, qui propter imperii fines difficillime defendendos paci studebant, consilia tam acriter aggressus est.

Fere eodem certo modo de Suetonianae vitae Tiberii tempore judicare possumus. Tres inter annos, quintum sextum septimum principatus Hadriani opus illud in lucem prodiit, inter tres illos annos, quibus C. Septicius Clarus praefectura urbis functus est. Quod Ludovicus Roth in praefatione editionis Teubnerianae (pag. VII.—IX.) clare exposuit. Reichau quidem (pag. VIII) hanc sententiam falsam esse voluit, sed verbis contra dictis mihi non persuasum est Rothium errasse. Neque Schroeder (pag. XVIII) meliora proponit, quibus ille refellatur. Editae igitur sunt Suetonianae vitae annis supra enumeratis. Quando composuerit opus suum auctor, hoc loco quaerere non nostrum est, sed postea de hac re loquemur. Tacitus igitur et Suetonius fere centum annis post Tiberium scripserunt. Itaque facilius sine ira et studio judicare potuerunt, si satis fontium diversisque auctoribus usi essent.

Ducentis autem annis post res, quas libris LVII—LVIII descripsit, Cassii Dionis ἱστορία Ῥωμαϊκὴ in lucem prodiit. Alexandro Severo principe opus suum perfecit, postquam per multos annos historiae componendae studuit, si ipsi credimus. (Xiphilini epitome l. LXXII, 23 in editione Dindorfii Teubneriana Vol. III. Lips. MDCCCLXIV). Accuratius autem nos de tempore loqui non necesse est.

Sed transeamus ad alteram praefationis partem! Vellejus non jure scriptor historicus appellatur. Nam aperte non id ab illo petitur, ut alios res gestas earumque causas doceat. Prima quidem ejus verba non novimus, quia perierunt. Sed qualiacunque fuerunt, jam ex toto opere id, quod sibi proposuerat,

intellegere possumus, ut non jacturam illam adeo dolere nos oporteat. Non suum esse putabat historiam scribere ad alios edocendos. sed illi rei operam dedit, ut se suamque aetatem vel aequales amicos suos laudare posset, velut L. Pisonem (II, 98), Aelium Lamiam, L. Apronium (II, 116), L. Asprenatem (II, 120). Ante omnia autem id petivit, ut Tiberium principem et Sejanum — hos pro amicissimis et fere eodem homine habuit — laudibus efferret. Quod consilium satis apte et sollerter institutum esse nemo negabit nisi praejudicatus. Eleganter enim auctor illud adumbravit. Omnia, quae usque ad Tiberium facta sunt, tantum eam ob causam facta esse videntur, ut res a Tiberio gestae summum adipiscantur fastigium summamque consequantur gloriam. Roma videtur in Tiberio absoluta et perfecta. Quae ante eum fuerunt, non intellegi possunt nisi ex Tiberio, in quem omnia evadunt, quo omnia redeunt. Hac fere mente Vellejus opus suum composuit. Sed ne uno quidem verbo propositum hoc nos plane docet. Perscite autem scriptor significationes in Tiberium jam priorum temporum narrationi intexuit, velut II, 38—39. Manifestius quidem auctor consilium suum reddidit in II, 75. Narratur enim hoc loco bellum Perusinum. Tum Tiberius Claudius Nero, principis pater, Antonianas partes secutus erat. Devicto igitur L. Antonio fugere coactus est. Fugae comites uxor filiolusque erant. Quod Vellejus de hac re narrat, non gravitati Perusini belli respondet. Sed sententia de rerum commutatione interposita auctor hoc quoque loco excusatus videtur. Tantum in fine opusculi sui Vellejus prudentiae prioris immemor adulationem adhibuit, quae plane elegantia caret. Illiberalem et fere sordidam eam dicere possis. Quo modo autem facultatem laudandi adeptus est? Comparatis aliis scriptoribus haec dicere possumus. Ut panegyricum suum scribere posset, supervacanea atque levia narravit (velut II, 75; II, 103; II, 107). Nec minus verbis facta Tiberii augebat, ut graviora viderentur. (II, 94; 97; 99; 103; 104; 124; 129.) At non solum nonnullas res in majus extollere ausus est, sed etiam consilio facta, quibus memoriae traditis fieri potuit, ut princeps ille male audiret, silentio texit. Agrippinam Vipsaniam, quam primam Tiberius in matrimonium duxerat, non memoravit, quia postea narrari oportebat eum

fuisse coactum, ut cum illa divortium faceret. Qua mortis ratione Agrippa Postumus diem supremum obierit, non traditur a Vellejo. (II, 112.) De Germanici morte, de Pisonis causa (II, 130), de Agrippinae conatibus nihil nos docet. (II, 130.) Tantum mendaciorum vestigia nulla reperire possum neque falsa invenisse videtur. Omnino autem Vellejum reprehendere non possumus, quia historicorum ordini adscribi nunquam se voluit historicaque narratione solam ob eam causam usus est, ut propositum suum hoc modo scite conderet. Qua re etiam commotus initium historiae a primis temporibus fecit et omnes gravissimas res nobis tradidit, non solum quae ad rempublicam, sed etiam ad poëseos et litterarum historiam pertinent. Eamque ob causam in secundi libri fine commoratus est auctor in omnibus rebus, quae ad Tiberium principem ipsum spectant in iisque accuratius quam in rebus, quae eodem tempore ab aliis gestae sunt. Saepius admirationem exclamationibus auget suam. Acerrimis autem verbis in principis adversarios invectus est. (II, 79; 125; 130.) Sine ira et studio judicare non poterat, quia Tiberii parti nimis adhaerebat. Etiam in traditis expeditionibus a Tiberio in Germaniam et Pannoniam factis ob illam causam nemo fidem Vellejo habuit, quamquam ipse illis interfuerat. Neque postea vestigia Vellejana reperiuntur. De qua re infra accuratius loquemur.

Cornelius Tacitus autem non laudationem Tiberii sibi proposuerat. Neque consilium, quod ille in scribendis annalibus inierat, ex ipsius utilitate ortum erat. Cur historiam narraverit, ipse conspicue dicit (I, 1). Tacitus pro historico haberi voluit, qui rerum causas explicuit et quae facta erant, vere tradere statuit. Historici autem antiquitatis ante omnia arti rhetoricae maxime operam dabant. Idem igitur in Tacito invenitur. Itaque operae pretium minime est de hac re permulta verba facere. Satis constat, illa ratione saepe leviores res pro gravioribus narrari et accuratius exponi. De propria autem Taciti indole historica nonnulla praemittere velim. Scilicet quod alii jam melius exposuerunt, repetere nolo. Carolus Nipperdey in praefatione jam supra adscripta de Taciti genere scribendi diligenter et accurate disseruit. Sane sine studio de auctore non judicavit. Quatenus ab eo dissentiam, paucis verbis

exponam. Doctissimus ille vir non satis aperte Taciti sententiam de optima reipublicae forma explicuit. Non ita quidem ille cogitabat, ut pro republica libera restituenda spes inanes concepisset. Quae a Gracchorum temporibus usque ad Julium Caesarem acciderant, perversa ac insana ei videbantur. Conatibus illis rempublicam ita corruisse putabat, ut principatus unus salutem ferre posset. Corruptissimam civitatem, cum antea non mos, non jus stetisset, demum Caesare Augusto auctore in securitatem rediisse (III, 28). Etsi nobilium imperium pro optimo habuit, tamen antiquissimum illum statum rediturum esse nunquam speravit. Quam moleste plebs illum tulisset, haud ignorabat. Etiam senatores jam non superbi, sed libidinibus dediti, dominationem unius tolerabant et ut facere possent quod vellent, principi adulabantur. (III, 65.) Nihil aliud igitur reliquum erat nisi aut popularium partem aut unum sequi. Plebis autem potestatem, quae facillime depravatur in effrenatam multitudinis libidinem, auctor detestatus est. Tacitus igitur sine ullo dubio dominationem unius meliorem esse existimabat, qua impediretur, quominus omnia perturbarentur. Dominos a libertis ac servis metui quam metuere maluit. Propterea principem in plebem ac servos severe animadvertere oportere videbatur. Populi libertatem paullo coërcitam esse non dolebat, si senatoribus et equitibus vivendi pro voluntate facultas dabatur. Maxime autem in hac re mirum est, quod homo noni ab urbe condita saeculi malorum exordium a decemviris inceptum esse dicit. (III, 27.) Nec levis momenti talis sententia est, si quis Tiberii principis imperium et mores dijudicare vult. Nam non ita cogitabat Tiberius, sed paene contra totam illam opinionem vel desideria. Licet maxime Tacitus studuisset, ne veritatem corrumperet, tamen non sine ira de adversario judicavit. Minime his verbis dicere volo facta a Tacito false descripta esse; sed quod fontes attinet, quos secutus est et quod ad causas spectat, quas factis a Tiberio supposuit, tali judicio auctor prohibitus erat, quominus neutri faveret. Plura de hac re infra, ubi de fontibus agetur, dicenda erunt. Talia autem fere omnibus antiquitatis scriptoribus objici possunt. Sed eo plures virtutes in Tacito solo inter Romanorum historicos reperiuntur. Sallustio Crispo excepto maxime inter alios excellit, quia reipublicae admini-

strandae peritus erat, nec minus quia propositi difficultates cognovit easque devitare conatus est. (I, 29; 81; III, 4; 19; IV, 10; 11; 53; 57.) Tantum id unum jam hoc loco dici potest, Tacitum nimis libenter rumoribus fidem habuisse, qui non argumentis firmati essent, sed ipsius opinionem comprobare viderentur, vel scriptoribus, qui talia tradidissent. (I, 5; II, 41; II, 43; 72; 73; III, 7; 16.) Ipse quidem se caute illis usum esse dixit IV, 11; sed tantum uno loco dubitavit. (IV, 11.)

Alios edocere historiam etiam Suetonius Tranquillus statuerat. Hoc consilio Caesarum vitas scripsit, ad quarum tertiam nos animos attendimus. Distat autem maxime in aliis rebus a Taciti indole et auctoritate. Neque rerum publicarum peritia neque morum exquisitione praecellit noster. Sed velut homo antiquitatis studio deditus opera sua composuit. Non quibus ex initiis orta ad quem statum Romanorum civitas pervenisset exposuit, sed singulorum principum vitas ita describere maluit, ut quam plurimas res et facta et dicta ad singulos pertinentia colligeret et connecteret. Itaque non historiam scripsit, sed res ad historiam ab aliis componendam idoneas tradidit. Diligentia summa, quae invenit, in Caesarum vitis contulit et narravit. Quam materiam disposuit ita, ut primum de parentibus et majoribus singulorum narraret, deinde de juventute, tum de imperii temporibus, de regendi modo et ratione, porro de moribus et consuetudinibus, postremo de morte. Id sane utilissimum in hoc scribendi genere videtur, quod auctor, qui quam plurima colligere sibi proposuit, neutri favebit, sed omnia enarrabit, et quae hominibus, quorum vita describenda est, commodo et quae incommodo sunt. In prima vitae parte facta ex temporum ordine conseruntur, postremo morum ratio habetur, qui non ad unum annum revocari possunt. Tamen ut morum — ut ita dicam — radicem psychologica ratione inveniret, minime operam dedit. Singularis et fere mira esse nobis talis vitae descriptio videtur. Sed praeterea, quod jam supra dictum est, neutrius studio auctorem ipsum inflammari, etiam ob aliam causam haud facile quisquam contendet hoc scribendi genus plane inutile esse. Nam nonnullae res eo modo traditae sunt, quas ex aliis frustra quaeres. Solus enim Suetonius de juventute Tiberii continua narratione usus est. Nec minus per-

spicue de indole ac moribus, de studiis consuetudinibusque locutus est. Neque talia parvi duci possunt, praesertim cum de Tiberio homine singulari et insigni, agatur. Sane nonnunquam alias quoque res, quae non ad cognoscendum Caesarem, de quo locutus est, necessariae erant, orationi contexuit. Sed etiam hae non repudiandae sunt velut III, 9. Postremo non levis momenti est, quod Hadriani Caesaris temporibus epistularum magister Suetonius in ejus aula familiariter versatus est (cfr. Aug. Krausii dissertationem de C. Suetonii Tranquilli fontibus et auctoritate. Berol. typis Mylianis exc. MDCCCXXXI). Qua re facilius ei contingere potuit, ut vetera scripta et litterarum monumenta cognosceret tabulasque antiquas exploraret. Ipse compluribus locis se iis usum esse affirmavit velut III, 5 et 22. Sed priusquam de hac re certiora dicere conamur, testes auctoresque vel fontes, quos nunc vocamus, a Suetonio adhibitos quaeri oportet.

Quod ad Cassium Dionem attinet, cujus libri LIV—LVI, maxime autem LVII et LVIII hoc loco respiciendi sunt, similiter Tacito in republica versatus erat. Sane Alexandri Severi temporibus consulum praetorumque potestas magis coërcita quam centum ante annis et fere ludibrio reddita erat. Tamen illi viri velut Dio exercituum stationes, imperii reditus et vertigalia, leges latas noverant. Tali modo instructus Cassius ad historiam scribendam animum appulit. Qua ratione commotus ille opus suum componere statuerit, scimus ex epitome libri LXXII, 23, qualem Xiphilinus nobis tradidit. Qui hoc loco Dionis verba repetivisse videtur. Sane mirum est, quod Cassius nobis dicit dormienti sibi numen imperasse, ut historiam scriberet. Se deo illi oboedivisse. Deinde cum opuscula jam edita inter alios maxime Severo principi placuissent, se statuisse sibi Romanorum historiam ab initio usque ad aetatem suam describere. Magis autem digna, quae cognoscantur, Cassii verba sunt (LXXII, 23), quibus decem per annos scribendi materiam a se conquisitam esse narravit. Per duodecim annos deinde in historia componenda versatus est. Diligenter igitur auctor opus suum maximum composuisse videtur. Otii quidem satis ei concessum erat a Septimio et Caracalla, ut facillime observare posset praeceptum illud notissimum poëtae: „nonum prematur in annum.“

Omnino rhetoricae arti maximam operam dedit. Sed non qualibet ratione studuit, ut oratio omnibus lectoribus tantum placeret. Non solum delectare voluit, sed etiam rerum ordinem causasque explicare statuit. *Ἐν μιᾷ πραγματείᾳ ἀπ᾽ ἀρχῆς πάντα* se narraturum esse pollicitus est. Et in hac re difficultates non leves superandas esse Dio ipse sensit. Saepe oportere res a se proferri, quibus lector non delectari posset, haud ignorabat. Quam ob rem se ipsum verbosius excusasse Xiphilini epitome nos docet (l. LXXII, 18). Graviora quae videbantur, silentio praeterire noluit, etiamsi lectores illis non delectati sunt. Historiam esse sua ratione tractandam ipse jam sensit, quamquam antiquo more illam oratoriae artis partem esse putabat. Minime autem in philosophia versatus est. Nam superstitioni nimis deditus est, etiamsi non obliviscimur deorum cultu plane neglecto omnes fere talibus erroribus obnoxios fuisse. Itaque si quis dubitare velit, num omnino Cassius rerum veras causas intellegere potuerit talem non acerbe vituperandum esse putem. Desperare autem non licet, quia compluribus ejusdem locis ratiocinandi facultatem invenimus. Sed accuratius jam Dr. Wilmans de hac re locutus est in dilucida et clara dissertatione (Berol. apud Eichlerum MDCCCXXXVI), quam ob rem non plura verba faciam. Tantum de fontibus Maximilianus Grasshof illum correxit. (De fontibus et auctoritate Dionis Cassii Coccejani dissertatio. Bonnae MDCCCLXVII). Qui semper Dionem uno fonte usum esse probavit. Vidimus igitur, quibus rationibus commoti auctores opera sua composuerint.

Jam instat quaestio gravior et difficilior, quibus ex fontibus scriptores nominati hauserint. Si responsum adipisci volumus, praecipue tali via ingrediendum est, ut auctores nostros inter se comparemus et conferamus. Qua in re concedatur mihi brevitatis causa, ne eadem verba repetam, ut illa litteris ita significentur, ad quae animum attendere velim.

Eamus ergo statim in medias res. Primo loco Tacitus cum Dione comparandus est.

I. Tacitus et Dio.

I, 5: gravescere valitudo Augusti et quidam scelus uxoris suspectabant; quippe rumor incesserat paucos ante menses Augustum electis consc̃is . . . . Planasiam vectum ad visendum Agrippam . . . . . spemque ex eo fore, ut juvenis penatibus avi redderetur.	LVI, 30. Ὁ δ' οὖν Αὔγουστος νοσήσας μετήλλαξε. καί τινα ὑποψίαν τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἡ Λιουία ἔλαβεν, ἐπειδὴ πρὸς τὸν Ἀγρίππαν κρύφα ἐς τὴν νῆσον διέπλευσε καὶ ἐδόκει οἱ καὶ πᾶσι πάντα καταλλαγήσεσθαι.

Idem ab ambobus traditur eodem temporis ordine et fere eisdem verbis. Tantum Tacitus magis accurate narrat.

I, 6: primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes ... Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit.	LVII, 3 τὸν μὲν Ἀγρίππαν παραχρῆμα ἀπὸ τῆς Νώλης πέμψας τινὰ ἀπέκτεινε καὶ ἔλεγε μὲν μὴ ἐκ τῆς ἑαυτοῦ προστάξεως τοῦτο γεγονέναι, ἐπηπείλει τε τῷ δράσαντι.

Etiam hoc loco Dio brevius idem tradit quod Tacitus copiosius.

Non ita consentiunt auctores in narratione de sollicitudinibus, quas Tiberius conceperit ex Germanici favore apud populum. Nam Dio tantum de exercituum studiis loquitur. Froitzheimius nihilominus fontem communem statuendum esse putat (pag. 23 et 27) in I, 7 et LVII, 3. Diversum autem auctorem nostri secuti sunt in I, 8 et LVII, 14. Cassius enim Tacitum corrigit propter temporum rationem neglectum nomine quidem illius tecto, velut Thucydides Herodotum. Simillime autem — non dico eandem esse — est amborum narratio de funere divi Augusti.

I, 8: populumque edicto monuit ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Julii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. Die funeris milites velut pra sidio stetere.	LVII, 2 τοὺς δὲ σωματοφύλακας ἀμφ' αὐτὸν ἤδη ἔχων ἐδεῖτο δὴ τῆς γερουσίας συνάρασθαί οἱ ὥστε μηδὲν βίαιον ἐν τῇ τοῦ σώματος αὐτοῦ ταφῇ παθεῖν ἐδεδίει γὰρ δῆθεν μή τινες αὐτὸ ἁρπάσαντες ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὥσπερ τὸ τοῦ Καίσαρος καύσωσι.

Neque dissimiles sunt I, 10 et LVI, 45. Sed unum fontem huic loco eundem supponendum esse non contendere ausim. Difficile etiam est de illo loco judicare, ubi senatus condicio exponitur, postquam Tiberius imperium a se non peti simulavit. Tacitus enim ab illo haec dicta tradit: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunae regendi cuncta onus. (I, 11.) Dio autem accuratius tres partes nominat et describit Consentiunt deinde auctores in quaestione a Gallo facta.

I, 12: Interrogo, inquit, Caesar, quam partem reipublicae mandari tibi velis.	LVII, 2 "ἑλοῦ,, ἔφη, ,,ἣν ἂν ἐθελήσῃς μοῖραν.

Responsum autem non eodem modo in Tacito, quo in Dione invenitur, quorum primus haec verba tradit: ,nequaquam decorum pudori suo legere aliquit aut evitare ex eo, cui in vinuersum excusari mallet‘ Cassius autem illum dixisse narrat:

„Quo modo fieri potest, ut idem et dividat et eligat“. Sed si ad rationem verborum spectas, fere eadem est. Verba ipsa quidem inter se distant. Fortasse igitur jam hoc loco certius dici potest fontis communis verbis utrumque usum esse, non ambos eodem modo. Dionem autem parum accurate intellexisse, quod fons communis tradidisset. Diversos autem auctores non secuti sunt nostri. Quod ex sequentibus verbis colligendum esse mihi videtur.

Rursum Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) non id circo interrogatum ait, ut divideret, quae separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur unum esse reipublicae corpus.. Nec ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tanquam ducta in matrimonium Vipsania... quae quondam uxor Tiberii fuerat.

συνεὶς οὖν ὁ Γάλλος ἐν ᾧ κακοῦ ἐγεγόνει.... ὑπολαβὼν, ὅτι οὐχ ὡς καὶ τὸ τρίτον ἕξοντος σοῦ, αλλ' ὡς ἀδύνατον ὂν τὴν ἀρχὴν διαιρεθῆναι, τοῦτό σοι προέτεινα, οὐ μέντοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐτιθάσευσεν .... καὶ γὰρ καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ τὴν προτέραν ἐγεγαμήκαι.... ὅθεν περ καὶ πρότερον διὰ μίσοι[illegible]ὐτῷ ἦν.

De Germanicarum et Pannonicarum legionum rebellionis narratione in Tacito (I, 16—30) et Cassio (LVII, 4—5) nobis conservata jam Froitzheimius accurate disseruit. Plurima recte ab eo demonstrata esse putem. Quam ob rem verba illius repetere nolo. Quod ex comparatione ab eo colligitur (pag. 2—19) fere hoc est: Dionem nonnunquam parum accurate narrasse eumque Tiberio magis adversarium, Germanico faventem secutum esse auctorem, ubi a Tacito dissentiret, velut de seditionis fine, de Agrippinae ablegatione, de militum condicione (I, 43; 49). A Tacito autem his locis fontem communem foedatum esse. Aliter Tacito majorem fidem esse habendam, quamquam duobus locis errasset (I, 41 et 44) in primo annalium libro praeter jam notos errores. Postquam fons communis incepisset expeditiones in Germaniam factas enarrare, hunc a Dione desertum esse, quia ille non sibi proposuisset, ut bella describeret (pag. 21). Fontes fuisse Plinium et Aufidium Bassum Froitzheimius conjectura opinatus est (pag. 38 seqq.). Sine ullo dubio in narratione seditionis non Dio Taciti verba

transcripsit, sed eodem tertio communi auctore cum illo usus est (velut LVII, 4 et 5 cf. I, 27; 29; 39; 52).

Sed pergamus, ubi Froitzheimius desiit.

I, 52 Gaudebat oppressam seditionem, sed quod largiendis pecuniis... favorem militum quaesivisset... et gloria augebatur. Rettulit tamen ad senatum de rebus gestis multaque de virtute ejus memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur.	LVII, 6 ἥσθη ὅις ἔπραξεν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλεῖον αὐτὸν ὡς καὶ τὰ στρατεύματα ἀνηρτημένον ἔδεισεν. οὐ γάρ που καὶ φρονεῖν οὕτως ὡς ἐδόκει, ἐξ ὧν ἑαυτῷ συνῄδει ἄλλα μὲν λέγοντι, ἄλλα μὲν ποιοῦντι ἀπελάμβανεν... καὶ ἐπαίνους ἐν τῇ βουλῇ τοῦ Γερμανικοῦ πολλοὺς ἐποιήσατο.

Quae verba Dionea a me praetermissa sunt, non in altero scriptore respondentia habent. Cassius enim hoc loco partim clarius partim compluribus verbis rem tractavit. Hic igitur optime cognosci potest, quod jam prius diximus et de quo infra verbosius dicendum erit, Dionem non alterius verba transcripsisse. Quod credi facile potest, si non accurate comparatur. Utrum autem illa in Tacito non inventa ex communi fonte an ex ullo alio scriptore sumpta sint, non dijudicare audeo. Sed nulla re cogi nos putem, ut praeter communem fontem quaeramus alium auctorem.

I, 72 Nomen patris patriae Tiberius a populo saepius ingestum repudiavit.	τό τε τοῦ πατρὸς καὶ τῆς πατρίδος πρόςρημα παντελῶς διεώσατο. (LVII, 8.)
I, 75 judiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta.	LVII, 7 ἐδίκαζε μὲν οὖν, ὥσπερ εἶπον, ἐπεφοίτα δὲ καὶ ἐπὶ τὰ τῶν ἀρχόντων δικαστήρια.. καὶ ἐκείνους μὲν ἐν τῇ ἑαυτῶν χώρᾳ καθῆσθαι εἶα, αὐτὸς δ'ἐπὶ τοῦ βάθρου τοῦ κατ' ἀντικρύ σφων κειμένου καθίζων.

Quot verba a Dione solo traduntur, fere tot alia in ambobus scriptoribus sibi respondent. Dubitare igitur possumus, utrum iste locus sententiam nostram probet an refellat. Sed praetermissa a Tacito verba non gravis momenti sunt. Quae si addidisset, ipse judicium suum irritum reddidisset. Nam ta-

libus praecedentibus non dicere potuit, quae sine illis adjecit. „Neque patrum cognitionibus satiatus“ et „Set dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.“ Quae pro supervacaneis habuisse Tacitus videtur, quia sententiae suae de Tiberii moribus contraria essent. Cur brevius Dione narraverit, hujus rei ratione habita jam non mirabimur.

Simillime autem Libonis Drusi causa ab utroque descripta est:

II, 27 seqq. sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur moliri res novas .... 28 interim Libonem ornat .... praetura ... non vultu alienatus .... 29 die senatus metu et aegritudine fessus (Libo) .. lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri ... 30 ... posterum diem reus petivit domumque digressus ... 31 duos ictus in viscera derexit ... Accusatio tamen peracta ... bona inter accusatores dividuntur.	LVII, 15 *Λούκιον Σκριβώνιον Λίβωνα, νεανίσκον εὐπατρίδην, δόξαντά τε νεωτερίζειν.. τέως μὲν ἔρρωτο, οὐκ ἔκρινεν, νοσήσαντα δὲ ἐπιθάνατον ἔν τε σκιμποδίῳ καταστέγῳ... ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε... καὶ ἐπειδὴ ἀναβολῆς τινος γενομένης ἑαυτὸν προαπεχρήσατο καὶ τελευτήσαντα εὔθυνε, τά τε χρήματα αὐτοῦ τοῖς κατηγόροις διέδωκε.*

Ne una quidem gravioris momenti res in Dione deest. Tacitus tantum compluribus verbis narrat. At dicat aliquis a Cassio Libonis morbum contendi, a Tacito in incerto relinqui. Haud dubie res ita est. Tamen hoc sententiae nostrae non contrarium est. Dio enim omnino ad credulitatem propensior loquitur certius Tacito, qui optimo jure haesitare et dubitare suo loco pro meliore habebat. De qua re jam supra accuratius locuti sumus.

II, 33. decretumque .., ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis Serica viros foedaret.	LVII, 15 *ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ νομίζειν.*

Verba quidem non eadem sunt neque eodem ordine conserta sunt, sed minime diverso modo intellegi possunt.

II, 39 Postumi Agrippae servus nomine Clemens.... pergere in insulam . . nam aetate et forma haut dissimili in dominum erat. Tum per idoneos . . . crebrescit vivere Agrippam . .	LVII, 16 Κλήμης τις, δοῦλός τε τοῦ Ἀγρίππου γεγονώς καί πῃ καὶ προςεοικὼς αὐτῷ, ἐπλάσατο αὐτὸς ἐκεῖνος εἶναι... ἐς τὴν Γαλατίαν ἐλθὼν...

Sequitur Cassii error, qui fontem non recte esse interpretatus videtur. Clementem enim in Galliam venisse narrat. Servus autem ille tantum consilium in Galliam confugiendi iniit. Sed non inde venit. Primum ex insula Planasia Cosam petivit (Tac. II, 39—40). Deinde

II, 40 e clientibus duos eligit (Salustius) atque hortatur simulata conscientia adeant eum . . . . speculati noctem incustoditam accepta idonea manu vinctum clauso ore in Palatium traxere. Percontanti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur: Quomodo tu Caesar ...... Ut ederet socios, subigi non potuit.	LVII, 16 ὁ Τιβέριος σοφίᾳ αὐτὸν διά τινων ὡς καὶ τὰ ἐκείνου φρονούντων ἐχειρώσατο καὶ μετὰ τοῦτο βασανίσας ἵνα τι περὶ τῶν συνεγνωκότων αὐτῷ μάθῃ, ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἐξελάλησεν, ἐπύθετο αὐτοῦ „πῶς Ἀγρίππας ἐγένου" καὶ ὃς ἀπεκρίνατο ὅτι οὕτως ὡς καὶ σὺ Καῖσαρ.

Respondent hoc loco maxime verba Dionea Taciteis, sed non ita, ut transcripta esse possint. Tantum ex eodem fonte sumpta sunt.

II, 42 Rex Archelaus . . . . invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset . . . . Mox accusatus in senatu . . . angore, simul fessus senio . . . . finem vitae sponte an fato implevit.	LVII, 17 τὸν δὲ δὴ Ἀρχέλαον τὸν τῆς Καππαδοκίας βασιλέα δι' ὀργῆς σχών, ὅτι... αὐτοῦ μὲν ἐς τὴν Ῥόδον ἐλθόντος ἠμέλησε... μετεπέμψατο ὡς καὶ νεωτερίζοντά τι καὶ τῇ τῆς γερουσίας ψήφῳ παρέδωκε... τότε μὲν οὕτως ὁ Ἀρχέλαος ἐσώθη, ἄλλως δ' οὐ πολλῷ ὕστερον ἀπέθανε.

Si verba illa a me adscripta essent sola in auctoribus, sententia mea mihi certa esse videretur. Sed plura in illis insunt. Quae a me omissa sunt Dionea post *παρέδωκε* usque ad *τότε μὲν*, singulariter a Cassio narrantur neque similia in Tacito invenies. Dio hoc loco partes verbosioris descriptoris agit. Concludendum igitur est, non certo modo dici posse utrum eundem an diversos secuti sint auctores in hac re. Aut Tacitus enim narratiunculam illam a Dione conservatam pro leviore habuit eamque ob rem omisit aut Dio non contentus communi fonte alium accuratiorem secutus est. Sed hoc minus crediderim, quia multa similia in ambobus inveniuntur. Id autem plane repudiandum esse mihi videtur, quod Weidemannus in gymnasii Cliviensis scripto, quod programma appellamus, hoc loco nisus contendit omnino non Cassium eodem quo Tacitum usum esse fonte. Nonnunquam autem praeter communem auctorem alios quoque secutus est. Saepius nostrum erit hoc concedere, sed Weidemannum (cujus opusculum anno MDCCCLXVIII. in lucem prodiit) refellere. Quod autem ad locum adscriptum attinet, veri similius esse putem conjicere nos eundem fontem Tacitum enim omissam narratiunculam pro leviore habuisse.

II, 56 Cappadoces in formam proviuciae redacti.	LVII, 17 *ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο.*

Qui quasi finis illius supra adscripti loci fere eadem verba continet.

III, 49 Lutorium Priscum, equitem Romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare corripuit delator, objectans aegro Druso composuisse . . . . quod . . . . . majore praemio vulgaretur . . . . 51 . . ductusque in carcerem Priscus statimque exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit. . . .	LVII, 20 *Γάϊος Λουτώριος Πρίσκος ἱππεὺς ἄλλως τε μέγα ἐπὶ ποιήσει φρονῶν καί ἐπιτάφιον ἐπί τῷ Γερμανικῷ ἐπιφανῆ συγγράψας, ὥστε καί χρήματα δι' αὐτὸν πολλὰ λαβεῖν, αἰτίαν ἔσχεν ὡς καὶ ἐπὶ τῷ Δρούσῳ ποίημα παρὰ τὴν νόσον αὐτοῦ συντεθεικως . . . καὶ ἐδικάσθη καὶ ἀπέθανεν. ὁ οὖν Τιβέριος ἀγανακτήσας . . . ἐπετίμησε αὐτοῖς (τοῖς βουλευ-*

Igitur factum senatus consultum, ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur, idque vitae spatium damnatis prorogaretur.

ταῖς) καὶ δόγματι παραδοθῆναι ἐκέλευσε μήτ' ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἀποτίθεσθαι.

Hoc quoque loco amborum verba fere eadem sunt. Nec distant in ulla re nisi ordine decretorum. Quod Tacitus prius nominat, a Dione altero loco positum est. Sed hoc nihil refert.

III, 72 censuere patres effigiem Sejano, quae apud theatrum Pompei locaretur.

LVII, 21 τὸν δὲ Σηϊανὸν ζῶντα ἐν τῷ θεάτρῳ χαλκοῦν ἔστησε.

Verbum ἔστησε in Latinum: ‚effigiem statui jussit' verti posse nemo infitiari potest. Itaque Cassius non dissentit a Tacito. Nam si decretum patrum factum est, sine ullo dubio constabat hoc non contra Tiberium fieri, sed eo auctore vel assenso.

IV, 2 vim praefecturae intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis in ceteros metus oreretur.

LVII, 19 μόνοι τὴν προστασίαν αὐτῶν ἔσχε, τά τε ἄλλα συνέστησεν αὐτὴν καὶ τοὺς λόχους ἰδίᾳ καὶ χωρὶς ἀλλήλων... ὄντας ἐς ἓν τεῖχος συνήγαγεν, ὥστε τὰ παραγγέλματα καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν καὶ φοβεροὺς πᾶσιν... εἶναι.

Paene dici potest de hoc loco verba verbis alterius respondere. Si unus hic locus respiciendus esset, credi posset Dionem tantum transcripsisse.

IV, 8 Ceterum Tiberius per omnes valitudinis (Drusi) dies, nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est.

LVII, 22 μήτε νοσοῦντος τοῦ Δρούσου μήτ' ἀποθανόντος ἔξω τι τῶν συνήθων ἔπραξεν, μηδὲ τοῖς ἄλλοις ποιῆσαι ἐπέτρεψεν.

Tacitus magis accurate rem exposuit. „Ne minimum quidem contra consuetudinem“ fecit, quia senatus prohibitus ab eo est quominus justitium existeret. Nam si princeps curiam ingressus est filio amisso, eo magis senatores decuit adesse.

IV, 12 laudante filium pro rostris Tiberio.

LVII, 22 *τὸν προςήκοντα ἐπὶ τῷ παιδὶ ἔπαινον ποιησάμενος.*

At occurit nobis opinio Cassium dissentire hoc loco a Tacito. Nam Dionem dixisse antea: *ἐσῆλθε ἐς τὸ συνέδριον* nec addidisse a Tiberio commutatum esse locum. Sed talia adjici non oportebat, quia apertis verbis *τὸν προςήκοντα ἔπαινον* nominavit. Qui Romanorum mores consuetudinesque novit, concedet tali verbo tantum laudationem pro rostris significari posse. De contrario Dionis igitur dici non potest. Si quidem *αὐτόθι* addidisset, aliter res exponenda esset. Sed non *αὐτόθι* adjecit.

IV, 14 multa ab histrionibus in publicum seditiose, foeda per domos temptari, ... pulsi tum histriones Italia.

LVII, 21 *τοὺς δὲ ὀρχηστὰς τῆς τε Ῥώμης ἐξήλασε καὶ μηδαμόθι τῇ τέχνῃ χρῆσθαι προσέταξεν, ὅτι τάς τε γυναῖκας ᾔσχυνον καὶ στάσεις ἤγειρον.*

Tacitus nobis tradidit regionem, quam intrare historiones vetiti sunt, accuratius quam Dio, cujus *Ῥώμῃ καὶ μηδαμόθι* perspicuitate caret. Sed in alia re Tacitus magis obscure locutus est, fortasse pudore commotus quodam. Cassius autem eandem rem clarius exposuit.

IV, 15 ... adeo, ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia causam dixerit .... quod .. si vim praetoris usurpasset manibusque militum usis foret, spreta in eo mandata sua .... Ita reus cognito negotio damnatur.

LVII, 23 *τὸν Καπίτωνα τὸν τὴν Ἀσίαν ἐπιτροπεύσαντα ἐς τὸ συνέδριον ἐσήγαγε, καὶ ἐγκαλέσας αὐτῷ, ὅτι καὶ στρατιώταις ἐχρήσατο καὶ ἄλλα τινά ὡς καὶ ἀρχὴν ἔχων ἔπραξεν, ἐφυγάδευσεν.*

Simillima est amborum descriptio nec uno quidem loco auctores inter se distant.

IV, 34 Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, . . . editis annalibus landatoque M. Bruto*), qnod C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Accusabant . . . . Sejani clientes. Id permitiabile reo . . . 35 . . . Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. Libros per aediles cremandos censuere patres. Set manserunt, occultati et editi.

VII, 24 Κρεμούτιος δὲ δὴ Κόρδος... κριθῆναι, ὅτι τόν τε Κάσσιον καὶ τὸν Βρούτον ἐπήνεσε... ὅτι τῷ Σηϊανῷ προςέκρουσεν... αὐτόχειρ ἑαυτοῦ γενέσθαι ἠναγκάσθη· αὐτός τε ἀπέθανε καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ τότε μὲν ἐν τῇ πόλει ἐυρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἔκαύθη, ὕστερον δὲ ἐξεδόθη τε αὖθις, ἄλλοι τε γὰρ καὶ μάλιστα ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ Μαρκία συνέκρυψεν αὐτά.

Quaecunque in hac causa graviora sunt, in ambobus, eodem modo narrantur. Sed uterque nonnulla addidit leviora, quae non ab altero adjecta sunt. Nihil igitur restare videtur quam opinari praeter communem fontem nostros etiam diveris aliis usum esse de Cremutii Cordi causa, velut de filiae nomine. Sed tantum in levioribus Tacitus et Cassius distant. Hoc quoque fieri potuit, si eodem auctore diverse uterentur.

IV, 36 Objecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. Et amisere libertatem.

LVII, 24 Κυζικηνῶν ἡ ἐλευθερία αὖθις, ὅτι τε Ῥωμαίους τινὰς ἔδησαν καὶ ὅτι καὶ τὸ ἡρῷον, ὃ τῷ Αὐγούστῳ ποιεῖν ἤρξαντο, οὐκ ἐξετέλεσαν, ἀφῃρέθη.

Eodem modo ambo idem narrant, tantum converso ordine. Sed Taciti parum clara verba de „incuria caerimoniarum divi Augusti“ tantum e Cassio intelligi possunt. Qua re optime probatur sententia nostra de communi fonte conjecta.

*) Sic Spengelius emendavit pro: ‚quod editis‘; vide Philologum XXXII, 6.

Exemplum, quod sequitur, non minus opinioni nostrae favet.

IV, 68. Titium Sabinum Latinius Latiaris .... (et alii) adgrediuntur, cupidine consulatus, ad quem non nisi per Sejanum aditus; neque Sejani voluntas nisi scelere quaerebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent .... Igitur Latiaris jacere fortuitos primum sermones, mox laudare constantiam ... 69 .. Tectum inter et laquaria tres senatores .... sese abstrudunt. Interea .... Latiaris .... Labinum, velut recens cognita narraturus .... in cubiculum trahit .... novos terrores cumulat Eadem ille .... Properata inde accusatio .... 70 .... Nec mora quin decerneretur.

LVIII, 1 *Λατιάριος δὲ τις ἑταῖρος Σαβίνου ἀνδρὸς τῶν πρώτων ἐν Ῥώμῃ, τῷ Σηϊανῷ χαριζόμενος, ἐς τὴν τοῦ οἰκήματος, ἐν ᾧ διῃτᾶτο, ὀροφὴν βουλευτὰς κατακρύψας ὑπηγάγετο τὸν Σαβῖνον εἰς λόγους, καὶ τι εἰπὼν ὧν εἰωθὲς ἐπεσπάσατο καὶ ἐκεῖνον πάνθ' ὅσα ἐφρόνει ἐκλαλῆσαι· τῶν γάρ τοι συκοφαντεῖν ἐθελόντων ἔργον ἐστὶ λοιδορίας τέ τινος προκατάρχεσθαι καὶ ἀπόρρητόν τι ἐκφαίνειν, ἵνα ἀκούσας τι ἀυτὸς ἢ καὶ ὅμοιόν τι ἐιπὼν αἰτιαθῇ... ὅπερ καὶ τὸτε ἐγένετο· ἔστε γὰρ τὸ δεσμωτήριον αὐθήμερον ὁ Σαβῖνος κατετέθη καὶ μετὰ τοῦτο ἀκρίτως ἐφθάρη, τό τε σῶμα αὐτοῦ κατὰ τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη καὶ ἐς τὸν ποταμὸν ἐνεβλήθη.*

Tacitus multo accuratius rem exposuit quam Cassius, qui dolum illum turpissimum non satis perspicue illustravit. Solam unam addidit de cadavere condemnati Dio narratiunculam, quae in Tacito non invenitur. Sabini enim canem tam fidelem fuisse domino etiam mortuo, ut una cum corpore ejus in fluvium abjecto in Tiberim insiluisset. Quod factum ex actis populi sumptum esse Plinius testatur in hist. nat. VIII, 40. Nec dubito, quin Cassius inde hauserit. De qua re infra loquemur. Sed quae ante narratiunculam illam popularem in ambobus nostris scriptoribus inveniuntur, ex alio fonte sumpta sunt (neque ex actis diurnis), sed Tacito et Cassio communi. Contra quam

opinionem ne hoc quidem instat, quod Dio parum accurate *αὐθήμερον* et *ἀκρίτως* damnatum esse Sabinum dicit. Verisimillimum esse mihi videtur, quod fontem communem non recte interpretatus est, quem ex Taciti verbis melius cognoscimus: ‚Nec mora quin decerneretur' et ‚properata accusatio'.

V, 9 tradunt... auctores, quia triumvirali supplicio adfici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compressam (filiam Sejani).	LVIII, 11 *τῆς κόρης... προδιαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ δημίου, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ διολέσθαι.*

In hac quoque re Tacitus et Cassius eundem auctorem secuti sunt. Minus certo modo de loco, qui sequitur similis, sententiam nostram exponere possumus:

V, 10 Asia atque Achaja exterritae sunt acri magis quam diuturno rumore, Drusum.... apud Cycladas insulas, mox in continenti visum... Aegyptum aut Syriam... invasurum fingebant simulque credebantque. Jam juventutis concursu... frequentabatur cum auditum id Poppaeo Sabino... cognoscit sollertius interrogatum, quisnam foret .... Scripsitque haec Tiberio ...	LVIII, 25 *ἐπειδὴ τάχιστα νεανίσκος τις Δροῦσος λέγων εἶναι περί τετὴ ν Ἑλλάδα καὶ περὶ τὴν Ἰωνίαν ὤφθη καὶ ἐδέξαντο αὐτὸν ἀσμένως αἱ πόλεις καὶ συνῄροντο. Κἂν ἐς τὴν Συρίαν προχωρήσας τὰ στρατόπεδα κατέσχεν, εἰ μὴ γνωρίσας τις αὐτὸν συνέλαβέ τε καί πρὸς τὸν Τιβέριον ἀνήγαγεν.*

Qua in re fontem auctoribus nostris communem esse saepius negatum est- Praecipue autem Weidemannus in dissertatione supra jam adscripta contra sententiam illam summa vi obnixus est. Quam ob rem maxime ultima utriusque verba adhibuit. Tacitus enim adjecit narrationi suae haec: ‚Nequé nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.' Ridiculum igitur Weidemanno esse videtur. quod Dio plura adjecerit quasi melius instructus Tacito, cujus narratio fine certo caret. Sed ubinam Cassius rei exitum tradidit? Immo vero Cassius eadem verba addere potuit quae Tacitus. Tantum *ἀνήγαγεν* in eo in-

venitur, cui nihil Taciteum respondet. Sane in hac re distant auctores. Sed nondum desperare licet. Conjectura quadam adhibita similitudinem restituere possumus. Dionis verba enim corrupta esse traditis manuscriptis putem. Palaeographico modo facillime fieri potuit, ut pro *ἀνήγγειλεν* poneretur *ἀνήγαγεν*. Ea ratione narratio Cassii alterius descriptioni plane respondet. Sed Weidemannus occurit nobis etiam ex alia causa. Temporum ordine scriptores differre contendit. Nec dubium est, quin jure hoc dicat. Nam si Dionem audis, tribus annis post tempus a Tacito constitutum illa facta esse tradere videtur. Sed nondum sine ullo dubio verba: *τούτων δ' οὕτως ἐν τῇ Ῥώμῃ γιγνομένων* tam arte, ut ita dicam, intelleguntur, ut ad unum tantum annum revocare possis. Sane ad longius temporis spatium interpretari ea possumus. Utcunque autem res se habet, Dio omnino non solum uno loco erravit, quod ad chronologiam spectat, sed etiam compluribus (velut LVII, 19 et LVIII, 23 cf. Tac. ann. VI, 20 et VI, 19). Sin cui non persuasum est, hunc locum adscriptum e fonte communi sumptum esse, cum praetermittat! Plures enim alii aderunt testes opinionis nostrae, velut:

VI, 2 repente Togonius Gallus .... per diridiculum auditur. Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accinti, quotiens curiam inisset, salutem ejus defenderent.	LVIII, 17 *ἕτερόν τι γελοιότερον ἐγένετο· προχειρίσασθαί τε γὰρ αὐτὸν ὅσους ἂν ἐθελήσῃ σφῶν καὶ ἐξ αὐτῶν εἴκοσιν, οὓς ἂν ὁ κλῆρος ἀποφήνῃ, φρουροῖς, ὁσάκις ἂν ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσίῃ, ξιφίδια ἔχουσι χρῆσθαι ἐψηφίσαντο.*

Eadem ab ambobus plane eodem modo traduntur excepto nomine Galli, quod Dio silentio praetermisit aeque ac multorum aliorum nomina.

VI, 3 Junium Gallionem, qui censuerat, ut praetoriani actis stipendiis jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit .... statim	LVIII, 18 *Ἰούνιον Γαλλίωνα, θέαν τοῖς διαστρατευσαμένοις (τῶν δορυφόρων) ἐν τῇ τῶν ἱππέων ἕδρᾳ δίδοσθαι, ἐσηγησάμενον μὴ μόνον φυγαδευ-*

curia, deinde Italia exactus et quia incusabatur facile toleraturus exilium Lesbo delecta, insula nobili et amoena, retrahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum.

σαι... ἄλλὰ καὶ ἐπειδὴ ἔγνω αὐτὸν ἐς Λέσβον ἀπαίρειν, τῆς τε ἐκεῖ ἀσφαλοῦς εὐδαιμονίας ἀφελέσθαι καὶ ἐς φυλάκην τοῖς ἄρχουσιν... παραδοῦναι.

Verba fere eadem sunt; tantum e Taciteis magis genuinum Romanum, hominem vere Romanum cognosces quam e Dioneis, qui communis fontis ,quattuordecim ordines, in ἱππεῖς recte, sed magis jejune transtulit. Sed hoc non ad propositum nobis spectat.

VI, 8 ausus est eques Romanus, M. Terentius, ob id (ob Sejani amicitiam) reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo.... „fatebor fuisse me Sejano amicum .... tuum, Caesar, generum, tui consulatus socium, tua officia in republica capessentem colebamus. Non est nostrum aestimare, quem supra caeteros et quibus de causis extollas .... abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps ... 9 .. constantia orationis et quia repertus erat, qui efferret, quae omnes animo captabant, eo usque potuere, ut accusatores .... aut exilio aut morte multarentur.

LVIII, 19 τοῦ δὲ δὴ Τερεντίου, ὅτι ἐπὶ τῇ τοῦ Σηϊανοῦ φιλίᾳ κρινόμενος οὐχ ὅσον οὐκ ἠρνήσατο, ἄλλα καὶ ἔφη καὶ σπουδάσαι μάλιστα αὐτὸν καὶ θεραπεῦσαι, ἐπειδὴ καὶ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Τιβερίου οὕτως ἐτιμᾶτο, „ὥστ' εἰ μὲν ἐκεῖνος ὀρθῶς“, εἶπεν, „ἐποίει, τοιούτῳ φίλῳ χρώμενος, οὐδὲ ἐγὼ τι ἠδίκηκα ... καὶ γάρ τοι προςήκει ἡμῖν πάντας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ τιμωμένους ἀγαπᾶν, μὴ πολυπραγμονοῦντας ὁποῖοί τινές εἰσιν... ἥτε γάρ βουλὴ διὰ ταῦτα αὐτὸν ἀφῆκε καὶ προςέτι καὶ τοῖς κατηγόροις αὐτὸν προςεπετίμησε.

Quae facta sunt, simili modo narrantur. Tantum quod ad orationem Terentii attinet, uterque suum ingenium esse secutus videtur. Nec mirum, si antiquitatis historico ita egisse memores sumus, ut rhetoricam gloriam adipisceretur. Sed

oboedientiae ejusdem est oratio Tacitea et Dionea. Praecipue autem e communi fonte sumptum esse illud videtur: ‚Non est nostrum‘ et ἡμῖν προςήκει.

De loco simillimo, qui sequitur, (Tac ann. VI 8 = Cass. D. LVII, 19) jam accurate actum est in Philologo XXX, (pag. 442). Singulare enim ess, quod nostri cum Curtio Rufo (VII, 4 vel I, 26) consentiunt.

At contra opinionem nostram Weidemannus VI, 20 (Tac. ann.) et LVII, 25 instare contendit. Sed hos locos nemo comparare postest, quia de diversis rebus agitur. Nam aliud est, quandam conjungio accipere, aliud γάμους ἑορτάζειν. Ceterum hac in re Weidemannus recte Cassium reprehendit, quod de tempore erravit. Spatium inter sponsoria et nuptias nimis longum est. Diversos igitur scriptores Tacitus et Dio secuti sunt hac in re. Respondent autem sibi rursus in:

VI, 23 Tradidere quidam praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Sejano temptarentur, extractum custodiae juvenem (Drusum) .... ducem populo imponere.	LVIII, 13 τῷ δὲ Μάκρωνι, ὥς τινὲς φασιν, ἐνετείλατο ὅπως, ἄν τι παρακινήσῃ, τὸν Δροῦσον ... ἐς τὸν δῆμον ἐσαγάγῃ καὶ αὐτοκράτορα ἀποδείξῃ.

Horum locorum similitudo usque ad ‚τινες‘ pertinet. Cujus momenti hoc sit, infra accuratius exponere conabimur.

VI, 24 recitari factorum dictorumque ejus (Drusi) descripta per dies jussit.	LVIII, 25 ὅσα ὁ Δροῦσος, οἷα ἔν τε ταλαιπωρίᾳ ὤν ... ἐξελάλησε, καὶ ταῦτα ἐς τὴν βουλὴν ἐσέπεμψε.

Nec hoc loco inveniri potest, qua in re auctores nostri distent.

VI, 26 Coccejus Nerva, continuus principi, ... moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere causas requirere, addere preces .... aversatus sermonem Nerva abstinentiam sibi conjunxit.	LVIII, 21 ὁ Νερούας μηκέτι τὴν συνουσίαν αὐτοῦ (τοῦ Τιβερίου) φέρων ἀπεκαρτέρησε ... πολλὰ γὲ αὐτοῦ παρακαλοῦντος, ὅπως τι ἂν φαίη οὐδ᾽ ἀποκρίνασθαί τιή θέλησε.

Hoc quoque loco Weidemannus oppositam sententiam secutus est. Revocat enim animum lectoris ad verba, quae sequuntur narrationem a me adscriptam, ubi de causis agitur quibus commotus Nerva consilium moriendi inierit. Tacitus enim „mala rei publicae fecisse, ut Nerva mortem oppeteret, nobistradidit. Dio autem certum malum nominat, pecuniarum calamitatem. Cassius igitur compluribus verbis loquitur. Sed cur ex hac re concludendum est, diversis fontibus Tacitum et Dionem usos esse? Instant contra unam dissimilitudinem, quae videtur, plures similes loci in narratione ipsa.

VI, 26 Agrippinae permities... Plancinam traxit.	LVIII, 22 τῇ δ' οὖν Ἀγριππίνῃ καὶ ἥ Πλαγκῖνα ἡ Μουνατία ἐπεσφάγη.

Quamquam hic locus brevissimus est, tamen clarissime demonstrat, quatenus consensus inter Tacitum et Cassium ex fonte communi pertineat.

VI, 31 nobiles Parthi in urbem venere ignaro rege Artabano. Is ... senectutem Tiberii ut inermem despiciens avidusque Armeniae, cui defuncto rege Artaxia Arsacen, liberorum suorum veterrimum, imposuit ..... Phraaten, regis Phraatis filium, Roma poscebant...... 32 Ornat (Tiberius) Phraaten ... Et Phraates aput Syriam . . . patriis moribus impar morbo adsumptus est .... Tiridatem, sanguinis ejusdem ..... reciperandaeque Armeniae Hiberum Mithridaten deligit .... 33 simul Hiberi magnis copiis Armeniam irrumpunt.	LVIII, 26 ὁ Ἀρτάβανος ὁ Πάρθος τελευτήσαντος τοῦ Ἀρτάξου τὴν Ἀρμενίαν Ἀρσάκῃ τῷ ἑαυτοῦ υἱεῖ ἔδωκε, καὶ ἐπειδὴ μηδεμία ἐπὶ τοῦτο τιμωρία παρὰ τοῦ Τιβερίου ἐγένετο, τῆς τε Καππαδοκίας ἐπείρα... καὶ ἀποστάντες οὖν τινες αὐτοῦ ἐπρεσβεύσαντο πρὸς τὸν Τιβέριον, βασιλέα σφίσιν ἐκ τῶν ὁμηρευόντων αἰτοῦντες καὶ αὐτοῖς τότε μὲν Φραάτην τὸν τοῦ Φραάτου τελευτήσαντος δέ ἐκείνου κατὰ τὴν ὁδὸν Τιριδάτην ἐκ τοῦ βασιλικοῦ καὶ αὐτὸν γένους ὄντα, ἔπεμψε... ἔγραψε Μιθριδάτῃ τῷ Ἴβηρι ἐς τὴν Ἀρμενίαν ἐςβαλεῖν ... ὁ Ἀρτάβανος Σκύθας προςλαβὼν ... αὐτὸν ἐξήλασε.

Maxime in hac re mirum est, quod Cassius ad belli descriptonem accessit. Nam in Tiberii principis temporibus exponendis alio loco non ita egit. Quod jam supra dictum est a nobis, Froitzheimium secutis. Sed addi necesse est hoc loco rem non eandem esse, quia narratio de legatione Parthorum a belli descriptione vix disjungi potest. Itaque si priorem narrationem Dio e fonte communi sumpsit, etiam sequentem adscribi oportebat. Aliter res erat in tradenda Germanici expeditione in Germaniam facta post legionum seditionem finitam. Facillime haec ab illa separari potuit. Omnino crediderim e fonte communi ne Tacitum quidem de bellis Germanicis instructum fuisse, sed ex alio opere, de quo infra loquemur.

VI, 38 Fulcinius Trio ingruentis accusatores hau perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit, ipsi fluxam seni mentem ... objectando. Quae ab heredibus occultata Tiberius recitari jussit; patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae.	LVIII, 25. *Φουλκίνιός τις Τρίων... κατηγορηθεὶς τι παρεδόθη καὶ δείσας αὑτὸν προαπέκτεινε, πολλὰ δὲ καὶ τὸν Μάκρωνα ἐν ταῖς διαθήκαις λοιδορήσας καὶ οἱ μὲν παῖδες αὐτοῦ οὐκ ἐτόλμησαν... δημοσιεῦσαι, ὁ δὲ δὴ Τιβέριος... ἐς τὸ βουλευτήριόν σφας ἐσκομισθῆναι ἐκέλευσε. ἥκιστά τε γὰρ αὐτῷ τῶν τοιούτων ἔμελε καὶ τὰς κακηγορίας καὶ λανθανούσας... ὥσπερ τινὰς ἐπαίνους, ἐξέφαινεν.*

In narratione facti scriptores consentiunt. Sed in judicio inter se distant. Tacitum enim severius, quod jam supra vidimus, judicat. Simulavisse Tiberium quasi libertatem toleraret. Infamiam principi conjectam veritati respondere eontendit. Dio autem, patientem libertatis alienae fuisse Tiberium credit et convicia adversariorum contempsisse. Omnino auctores non in dijudicandis moribus principis illius singularis consentiunt. De qua re post comparata exempla loquemur.

VI, 45 gravi igne ... deusta parte circi, quae	LVIII, 26 *πυρί πολὺ πλείω περί τε τὸν ἱππόδρομον καὶ*

Aventino contigua, ipsoque Aventino. Quod damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis.

περὶ τὸν Ἀουεντῖνον ἐφθάρη. ὥστε τόν Τιβέριον δισχιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας τοῖς ζημιωθεῖσί τι ἀπ᾽ αὐτοῦ δοῦναι.

Cassius numerum addidit, qui in Tacito non invenitur. Nec mirum, quia superstitione quadam ad diligentiam talem perductus est, quamquam hob loco levioris momenti erat scire quanti insulae deustae aestimandae fuissent. Sed auctores in anno, qui Tiberio penultimus erat, consentiunt. Quod rarum esse jam saepius vidimus et ex comparatis VI, 28 et LVIII, 27 (de avi miraculosa) colligere possumus.

VI, 46 Macroni non abdita ambage occidentem ab eo deseri, orientem spectari exprobravit.

LVIII, 28 *ὁ Τιβέριος ὑποπτεύσας ποτὲ "εὖ γὲ, "ἔφη, τὸν δυόμενον ἐγκαταλιπὼν πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα ἐπείγῃ.*

Hoc quidem concedendum est hanc Tiberii sententiam non in eadem continua narratione apud Dionem inveniri, in qua apud Tacitum. Sed nostrae opinioni hoc minime instat. Omnino non totum Cassium cum toto Tacito consentire contendimus. Tantum quod ad partes quasdam attinet, fons communis cognosci vel conjici potest.

VI, 48 Arruntius cunctationem et moras suadentibus amicis non eadem omnibus decora respondit. Sibi satis aetatis . . . . Sane paucos et supremos principis dies posse vitari: quem ad modum evasurum imminentis juventam. An, cum Tiberius . . . vi dominationis . . . mutatus sit, C. Caesarem . . . meliora capessiturum Macrone duce? . . . Haec vatis in modum dictitans venas resolvit . . , . Albucilla inrito ictu a semet vulnerata jussu senatus in carcerem fertur.

LVIII, 27. *Λούκιος Ἀρρούντιος καὶ ἡλικίᾳ καὶ παιδείᾳ προήκων, ἑκουσιος, καὶ περ νοσοῦντος ἤδη τοῦ Τιβερίου καὶ νομιζομένου μὴ ῥαΐσειν, ἐφθάρη· τὴν γὰρ τοῦ Γαΐου κακίαν συνιδὼν ἐπεθύμησε, πρὶν πειραιθῆναι αὐτοῦ, προαπαλλαγῆναι εἰπὼν ὅτι οὐ δύναμαι ἐπὶ γήρως δεσπότῃ καινῷ καὶ τοιούτῳ δουλεῦσαι. . . . γυνή μὲν γάρ τις ἑαυτὴν τρώσασα ἐςεκομίσθη τε ἐς τὸ συνέδριον, καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὸ δεσμωτήριον ἀπαχθεῖσα ἀπέθανε.*

Sane non in omni re nostri hoc loco consentiunt, sed in plurimis iisque maximo momenti. Tantum Albucillam mortuam esse Tacitus non adjecit. Sed gravius erat, quod omnino vulnerata in carcerem deducta est.

Tot similitudines in Tacito et Dione inveniuntur. Scilicet praeter illas multa in illis insunt, quibus non ab altera parte respondetur. Sed non nostrum est de his diversis locis conjicere, quia tale inceptum nihil habet quo nitamur Tandem etiam nonnulla sunt Tacitea, quae Cassius more Thucydideo velut I, 8 et LVII, 14; I, 76,. 79 et LVII, 14 emendare voluit.

Nostrum autem est fontes exquirere. Itaque si omnes illos adscriptos et comparatos locos respicimus, hoc fere omnino colligi potest: Sunt in Tacito et Dione plurima simillima, quae paene usque ad verba nonnunquam sibi respondent. Quae in iisdem distant, tantum levia sunt. Donec non ad singulos locos animum attendis, haec ob rem credere possis Tacitei ingenii admiratione Cassium ita perductum esse, ut ejus verba sequeretur. Qua in re quidem Dionem non semper accurate versatum esse, modo parum recte interpretatum modo parum diligenter secutum. Sed tali sententia non omnes dissimilitudines in locis ad comparationem idoneis intelleguntur, quod jam srupa vidimus. Nec facile percipi potest, cur non Cassius totum Tacitum secutus sit, cur nonnunqum illum emendaverit. Multo melius omnes illas res intellegemus, si ambos auctores, communi fonte usos esse statuerimus. Qua causa commotus in comparatione instituta hanc opinionem, ut ita dicam, praemisi. Hoc modo nobis contigit propositum exponere sine nimis audaci conjectura. Contra sententiam autem nostram minime hoc dici potest Tacitum fuisse scriptorem ita singularem, ut sua tantum via ingredi neque ullius exemplo regi voluerit. Nam Mommsen (in: Hermes IV, pag. 295—325. Berol. 1870) et Nissen (in Mus. Rhen. XXVI, pag. 497—548. Francof. ad M. 1871) demonstraverunt Tacitum in historiis scriptore alio saepe usque ad verbum usum esse. De cujus nomine viri illi doctissimi non consentiunt, sed haud dubie Tacitus et Plutarchus eundem auctorem secuti sunt. Nec minus in annalibus ejusdem auctoris et in Dionis historia tantum hac conjectura simillimi loci et quae in iis distant, cur distent, intellegi possunt. Falsum enim

est omnes dissimilitudines ad partium studium vel iram revocare. Sed diversa ratione ortae sunt. Modo rhetoricae arti modo hominis cujusdam studio indulserunt auctores. Dijudicare autem, uter recta via in singulis rebus ingressus sit, non nostrum est. Nobis tantum propositum est, ut de communi fonte conjecto sententiam nostram exponamus. Sane difficillimum inceptum videtur esse, quia tam parva historicorum antiquorum antiquorum fragmenta non ad certius loquendum de veterum fontibus idonea sunt. Conjecturis igitur nos uti oportet de communi illo fonte. Quodsi res, quae in simillimis locis narrantur et exponuntur, proprius respicimus, maximam in omnibus ad senatum pertinentibus rebus esse similitudinem invenimus. Deinde si Tacitum solum perlegimus, accuratissime principis senatorumque orationes in curia habitas patrumque decreta invenimus (velut I, 7—8; 11—15; 52; 72—74; 76; 79; II, 27—38, 42, 50, 52, 63—64; 83; 85; III, 10—19; 22—25; 29; 31—38; 47; 49—54; 56; 59—63; 65—70; 72). Quam ob rem multi doctissimi viri, velut Carolus Nitzschjam commentariis senatus Tacitum usum esse conjecerunt. Cui sententiae etiam Aemilius Huebner assensus ad emendationem auctoris illius (II, 88) accessit. Jacobum Grimmium enim secutus nomen Adgandestrii in Gandestrium commutavit (cf. Huebneri dissertationem in Fleckeisenii annalibus cum Jahnianis supplementis. Suppl. III, 5 pag. 559—631. Lips. 1860). Sane emendationem illam si sequimur, Tacitus ipse acta senatus a se adhibita esse contendit. Sed qua ratione nisus vir doctissimus emendavit? Nescio. Et Nipperdeyius (in praefatione jam supra adscripta pag. XX) contra disseruit. Recte Huebnerum errasse exposuit. Tantum hoc parum accurate explicuit, cur I, 81 et II, 88,. qualem conjecit Huebner locum, inter se distarent. Nam etiamsi Tacitus in hac re ‚vix quicquam firmare' audet, tamen acta patrum legisse potuit. Tiberius enim alio tempore alio modo in comitiis consularibus versatus est. Tamen Nipperdeyio assentior. Nam si Tacitus acta senatorum ipse perlegisset in sex prioribus annalium libris, lectoribus hoc tradidisset. Nunquam autem in his libris commentarios senatus apertis verbis adscripsit. At dicat aliquis II, 35 et III, 65, illum satis clare ad patrum acta alludere. Tacitum

igitur ex illis hausisse videri. Sed si acta ante oculos habuisset, certius esset locutus. Etiam hoc addi potest, quod non semper verbis ejus credere possumus. Nom in historiis ad fontes allusit, quos non ipse legit. Quod Nissen exposuit (l. c. pag. 513 et 528) et demonstravit ita, ut Tacitum fontis verbis ad auctores pertinentibus usum esse, nominibus omissis contenderet. At occurrit nobis opinio fieri potuisse, ut Tacitus senex secus judicasset et adscripsisset ac juvenis. Contra quod instat non solum spatium fere quindecim annorum, inter quos annales historias secuti sunt, sed etiam illud, quod jam supra vidimus Tacitum in annalibus quoque aeque ad fontem alludere ac in historiis. Sane semel (VI, 23 et Cass. D. LVIII, 13) tantum invenimus; sed sufficit ad sententiam nostram confirmandam etiam unus ille locus. Itaque ut paucis verbis opinionem nostram complectamur, Tacitus non acta patrum ipse secutus est, quia neque ipse neque Cassius Dio, qui maxime in senatoriis rebus cum illo consentit, in Tiberii historia tradita patrum acta adscripsit. In sequentibus autem libris ad illa apertis verbis alluserunt (cf. Huebnerum). Acta diurna autem uterque adscripsit, quod infra videbimus. Tamen mirum est, quod Tacitus et permultis locis simili modo Cassius de senatorum orationibus decretisque accurate et perspicue locuti sunt. Conjicere igitur possumus fontem illis communem patrum actis usum esse. Deinde Tacitum illo usum vel accurate illum secutum esse opinari licet. Dionem autem non tam diligenter in transcribendo versatum esse nonnullis gravioribus praetermissis et levioribus quibusdam e fonte illo communi adsumptis. Ita rem fuisse crediderim. Sed certius loqui non licet. Difficilior autem est quaestio, utrum fons ille communis, quem conjecerimus, bella descripserit necne, utrum Dio eundem deseruerit, simulac bella narraverit, necne. Froitzheimius ita opinatus est, ut Dio bella desoribere noluerit. Sane Cassius non militaris rei peritia excellit. Sed saepius fontes secutus est, qui tali virtute praediti erant. Quod infra, si cum Vellejo eum comparaverimus, accuratius exponemus. Itaque si Tacitus excellentem bellorum Germanicorum scriptorem secutus est, qui et ipse in narrandis senatoriis rebus actis patrum usus est, nonne conjici potest Dionem ita egisse? Sed non expeditiones in Germaniam

factas tradidit. Quam ob rem verisimilius esse mihi videtur scriptorem bellorum non eundem esse, quem ut communem fontem nostri secuti sunt. Sed quis nam fuit fons ille communis, de quo jam tot verba fecimus?

Optime in exquirendo illo versabimur, si Nissenii exemplum sequimur, qui nomina a scriptoribus ipsis commemorata primo loco examinari (l. c.) habuit pro utilissimo. Dio quidem nullum testem adscripsit. Sed Tacitus tribus locis ad nominatos fontes allusit, I, 69 C. Plinium, III, 4 acta diurna, IV, 53 Agrippinae commentarios. De his ultimo loco enumeratis dijudicarə non jam possumus; sed vix credibile est Agrippinam actis patrum usam esse. Nec respondet talis investigatio actorum narratiunculae illi, quam ex commentariis sumptam esse Tacitus tradidit. Agrippina igitur auctor communis nostrorum scriptorum fuisse non videtur. Qua sententia non contenditur Tacitum omnino non illius commentariis usum esse. At acta diurna vel populi (cf. Huebn. pag. 594) ab ultroque adscribuntur. Sed scriptura illa diurna non patrum decreta, nedum orationes continuit. Ad quod accedit, quod in locis comparatis non acta populi commemorantur, sed, ubi ad illa alluditur, auctores nostri non consentiunt neque sibi respondent. Mirum autem esset, si ne semel quidem alter alteri in adscribendis populi actis respondisset. Restat igitur C. Plinius. Quem fuisse fontem communem Taciti (I, 16—52) et Cassii (LVII, 4—5). Froitzheimius opinatus est. Sane hoc veri simile esse videtur, quia a Nissenio demonstratum est C. Plinium fuisse fontem Taciteis historiis et Plutarchianis vitis illis, quae de eodem tempore agunt, communem. Deinde hoc quoque Froitzheimium probare videtur, quod libro de Juliis Caesaribus Plinius composuit, ‚libros XXXI. a fine Aufidii Bassi' (cf. Plinii epist. III, 6 edit. Teubn. Lips. MDCCCLXXIII). Sed hac in re maxima difficultas nobis occurit. Nam quo anno Aufidius Bassus opus suum finivit? Perpauca tantum de hoc scriptore tradita sunt. (cf. Tac. Dial. 23, Vossius de Latinis historicis lib. I pag. 113. Lugd. Batav. 1651 — Paulyi encycl. real. I, 1002). Tamen Carolus Nipperdeyius exposuit veri simillimum esse initium Plinii a Claudio. (In Museo Rhen. XVII. pag. 438—440) Itaque non Plinius ipse, sed ille, quem secutus est, fuisse fons

communis videtur. Et Aufidii Bassi opus notissimum erat. Quod ex epistula illa a Plinio nepote ad Baebium Macrum scripta colligi potest. Nam soli ‚libri a fine Aufidii' sine commentario enumerantur (de quare vide Nissenium l. c. pag. 547.) Aufidium autem Bassum commentariis senatus usum ese verisimillimum est. Nec quidquam instat cur non credamus Tacitum et Cassium Aufidio ut communi fonte usos esse.

Postremo autem, quod ad dijudicandos Tiberii mores attinet, non eundem auctorem secuti sunt, sed uterque sua ingressus est via. Commutati enim sunt, si Tacitum audis, mores Tiberii Druso filio mortuo (Tac. ann. IV, 6—7), si Dioni credimus, jam postquam Germanicus diem supremum obiit (LVII, 19). Cassius Tiberium antea principem civilem et laudandum fuisse vel visum esse tradidit. In qua re miro modo cum Suetonio (III, 30) censentit, de quo infra loquemur. Postea autem idem auctor principem illum ut horrendum monstrum depinxit. Nam quamquam jam Tacitus contorta quadam. ut ita dicam, oratione mores Tiberii exponere conatus erat (II, 87 et VI, 51), tamen Dio illum superare voluit et LVII, 1 principem fuisse exemplum simulandi et dissimulandi omnibus numeris absolutum contendit et explicare studuit. Rhetoricae arti in hac descriptione tantum indulsit minime veri similitudinis ratione habita, quam jam Stahrius in Tacito desideravit.

Ex comparatis locis igitur hoc colligi potest, Tacitum Cassiumque multa ex communi fonte nec eo primario sumpsisse. Recto ergo Froitzheimius (pag. 1) contendit etiam annalibus componendis Tacitum e primariis fontibus non hausisse.

Tantum id cautius addendum est, quoad alios comparaverimus Dione excepto, non in senatoriis rebus neque in bellis Germanicis fontem primarium inveniri vel conjici posse.

II. Suetonius et Tacitus.

Quo loco jam nostrum est Suetonium cum duobus aliis comparare. Primum quidem Tacitum conferri oportet. Nam Dio partim eundem fontem quem ille, secutus est partim minus accurate et verbose de Tiberio locutus est. Priusquam autem comparationem Suetonii cum Tacito instituimus, concedatur nobis antea, ut commemoremus nos nolle reverti ad jam comparatos Dionis locos, siumlac Suetonius cum tali Taciteo consentit, quem e fonte communi sumptum esse scimus. Si Suetonius tertius additur, res non commutatur. Rarissime autem Tranquillus cum duobus aliis eundem fontem esse secutus videtur. Sed accedamus ad propositum! Praecipue Henricus Reichau in dissertatione sua contendit, Tacitum et Suetonium saepius communi auctore usos esse. Examinemus igitur locos ab illo prolatos, quibus eaedem res ab illis exponuntur. Plures invenire non possumus, quia Reichavius quam plurimos jam contulit.

III, 21 (Augustum) ambitione tractum, ut tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret.	I, 10 quoniam adrogantiam saevitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse.

Verborum ratio eadem videtur esse. Sed nullum verbum in ambobus idem invenitur. Deinde Suetonius antea Augustum, ‚expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse, vel etiam ambitione‘ .... narravit. Apertis igitur verbis Suetonius non sententiam a Tacito acceptam probat. Immo vero, si persequeris eum legere, eam refellit rumoresque repudiat. Quam ob rem e fonte communi utriusque narrationem sumptam esse non contenderim. Nam Tacitus solam illam adoptionis Tiberii causam profert vel a populo prolatam probat.

III, 22 codicillos . . . dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset . . . . 'an nomine Augusti Livia et ea conscio Tiberio an ignaro dictasset.

I, 6 primum facinus novi principatus fuit Agrippae . . . . caedes . . . patris jussa simulabat (Tiberius). Propius vero Tiberium ac Liviam . . . . caedem festinavisse . . . .

Sane quae sequuntur, verba Tiberii centurioni nuntianti caedem esse perfectam responsa, non solum in Suetonio et Tacito, sed etiam in Cassio similiter inveniuntur, simillime in Tranquillo et Dione. Sed non hac ex re colligi jam potest totum locum ex eodem fonte sumptum esse. Nam parum mirum videtur, si verba prima novi principis ob talem causam dicta similiter ob omnibus traduntur. Neque si fontem illis communem fuisse opinaris, non intellegi potest, cur auctores in dijudicanda causa inter se distent. Nam Suetonius dubitat atque haesitat. Tacitus autem certo modo de caede loquitur.

Porro Suetonius (III, 24) Tiberium dixisse narrat senatores esse „ignaros, quanta bellua esset imperium" Deinde imprudentem quidem ex eorum numero exclamasse: ‚Aut agat aut desistat'! Principem igitur conquestum esse, miseram et onerosam injungi sibi servitutem'. Quae omnia frustra in Tacito quaeres. Commune iis tantum verbum ‚procumbere' est. Senatum esse procumbentem ambo dixerunt. Sed Suetonius: ‚ad genua' addidit. Tacitus (I, 12) ad infimas obtestationos. Uno autem tali verbo minime discrepantia illa superantur. Parum firmo adminiculo nititur, qui ex illo fontem communem colligere vult.

Etiam alia de causa, quae ad senatum attinet, nostri inter se dissentiunt. Cum enim Tiberius proposuisset, ut sibi imperii tantum pars quaedam mandaretur ‚Asinius Gallus ei adulari conatus est, sed iram principis auxit. De quo facto Suetonius non prius loquitur quam post narratam seditionem Pannonicam (III, 25) Tacitus autem hunc senatus diem statim post priorem illum descripsit.

Quod a Suetonio (III, 27) de consularis cujusdam in Tiberium adhibita adulatione traditur, quam princeps ita oderit, ut . . . . , satis facientem sibi ac per genua orare conantem ita suffugerit, ut caderet supinus', cum Taciti narratione de

Q. Haterio comparari posse videtur. Narrat enim ibidem: ,Haterium cum deprecandi causa Palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius casu an manibus ejus inpeditus prociderat.' Sed si exitum respicimus, si quaerimus, quo consilio illud narratum sit, distant inter se auctores. Diversos igitur testes nostri secuti sunt.

III, 27 Dominus appellatus a quodam denuntiavit ne se amplius contumeliae causa nominaret.	II, 87 Acerbe increpuit eos, qui divinas occupationes ipsumque dominum dixerant...

Hoc quoque loco eundem ambobus fuisse fontem minime crediderim. Causae enim dissimiles, cur vetuerit princeps illud, ab auctoribus commemorantur. Nam Suetonius breviter Tiberii sententiam exposuit. Tacitus autem addit: ,Unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.' Porro disssimilis est Tranquillus Tacito in traditis luxuriae coërcendae conatibus. Diversa enim facta Suetonius (III, 34) confudit in unum, quae Tacitus disjunxit (II, 33 et III, 52). At dicat aliquis, cur omnes hos locos referam? Quia non solum propter similitudinis cujusdam speciem ab iis praebitam Henricus Reichau omnia adscripta ad communem fontem revocavit, sed etiam Weidmannus in dissertatione jam supra adscripta facilius Tacitum cum Suetonio quam cum Dione comparari posse existimavit. Sed quae contra hanc sententiam sunt, jam saepius exposuimus.

III, 36 Judaeorum juventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris caeli distribuit, reliquos gentis ejusdem vel similia sectantes urbi summovit, sub poena perpetuae servitutis nisi obtemperassent.	II, 85 factum senatus consultum, ut quattuor milia ... ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis et, si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum; ceteri cederent Italia.

Tacitus senatus consultum factum esse tradit. Suetonius autem a principe Judaeos esse punitos dicit. Sed hoc levis momenti est. Gravius autem mihi videtur esse, quod primus plures provincias, alter unam illis fuisse suffugium, Tranquillus

Judaeos Roma expulsos esse, Tacitus Italia cessisse narrat. Nec minus auctores in narratione servati miro modo Tiberii dissentiunt. Suetonius enim Sejanum, cujus auxilio princeps praeter spem evasit, ne uno quidem verbo significat, nedum commemoret (III, 39). Speluncam fuisse praetorium idem contendit. A Tacito autem villa illo nomine appellata est. Itaque non eodem fonte anctores nostros usos esse putem. (Tacitus IV, 59.)

III, 40 Cum Capuae Capitolium, Nolae templum Augusti, quam causam profectionis praetenderat, dedicasset, Capreas se contulit, praecipue delectatus insula.	IV, 57 Diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam, specie dedicandi templa apud Capuam Jovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul degere.

Si tantum haec verba legis, ambo consentire videntur; sed si rem persecutus eris, aliter judicabis. Nam Tacitus primo loco calamitatem Fidenatem narrat (IV, 62—63), deinde de principe additur (IV, 67): ‚Capreas se in insulam abdidit.' Suetonius autem jam antea Tiberium in insula commoratum rursus, quod populus ‚propter cladem' illam postulasset, in continentem transiisse tradidit. Neque numerus miserorum mortuorumque cladem propter eandem in nostris idem est.

Adhuc igitur non fieri potuit, quin refellamus opinionem quasi fontem communem Suetonius et Tacitus secuti sint. Sed pigere nos non licet. Persequamur ergo comparationem.

III, 43 sellaria excogitavit, sedem arcanarum libidinum .. repertores, quos spintrias appellabat.	VI, 1 Tunc primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci.

Quae plura in Suetonio inveniuntur, adscribere nolumus. Dicere sufficit non contra obscura Taciti verba illum compluribus suis disseruisse. Auctores igitur sibi respondent. Sed fortasse libidinum turpido ita caret verbis, quibus exprimatur, ut in eadem fere omnes incidere necesse sit. Forte tali consensus ille effici potuit.

Haud tam facile communem fontem fuisse negare poterimus, si sequentes locos comparaverimus.

III, 47 princeps neque opera ulla magnifica fecit (nam et quae sola susceperat, Augusti templum restitutionemque Pompejani theatri, imperfecta post tot annos reliquit)	VI, 45 modicus privatis aedificationibus ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompejani theatri; eaque perfecta, contemptae ambitionis an per senectutem, hau dedicavit.

Simillimo modo haec tradita sunt. Numeri et nomina aedificiorum eadem sunt. At Suetonius ea fuisse imperfecta, Tacitus perfecta dicit! Sed si superstitionem Suetonii (velut III, 14) respicis, aedificia ‚hau dedicata' illi imperfecta videri poterant. Facillime eadem diversis illis verbis significari possunt. Sed etiam contrarium auctorem fuisse illis non plane negari licet. Pergamus igitur in comparando Tacito cum Suetonio.

III, 48 quibusdam dominis insularum, quae in monte Caelio deflagraverant, pretio restituto.	IV, 65 deusto monte Caelio... VI, 45 deusta parte circi... Quod damnum Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis.

Sane Suetonius rursus duo diversa facta in unum confudit. Ignem enim, qui in monte Caelio (IV, 64) et qui in Aventino (VI, 45) erupit, plane permiscuit. Sed quomodo hoc fieri possit, quaeres! Nam ignes illi diversis annis erant et ab historico aliis locis, velut a Tacito, narrati esse videntur. At si ex actis publicis illos comparatos locos esse sumptos conjicimus? Hoc modo facile contingere potuit, ut duo adscripta a Tacito facta confunderentur. Sed de fontibus infra accuratius loqui conabimur!

III, 48 ut foeneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem aeris alieni statim solverent.	VI, 17 duas quisque faenoris partes in agris per Italiam conlocaret, debitores totidem aeris alieni statim solverent.

Ante omnia quidem in hac re concedendum est non tali modo, quali Tacitum adscripsimus, cum in manuscriptis tradi-

tum esse, sed conjectura locum illum emendatum. At quis Nipperdeyi emendationem vituperat vel aliam meliorem profert? Necessaria sine ullo dubio esse illa videtur. Et jam in prioribus verbis ambo consentinnt. Sin doctissimi illius viri emendationem repudiamus, Taciti verba omni ratione carent. Quid? Nonne nobis credendum est Suetonium eodem auctore usum esse quo Tacitum? Nonne sententia nostra prior commutanda est?

III, 53 Ita absumptam (Agrippinam) criminosissime insectatus est.	VI, 25 Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam(Agrippinae)arguens.

Hoc quoque loco similes sunt auctores, non solum verbo uno illo sed etiam facto, quod mortuam princeps arguit.

III, 61, Immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae‘.

Conferendus est hic locus cum Tacito V, 9, de quo jam supra egimus, ubi Dionem cum Tacito comparavimus. Tantum Suetonius plures virgines pro una numerat. Saepius tali modo facta in majus vel pejus extollere ausus est, (velut III, 32) quod infra videbimus.

III, 67 Quid scribam vobis P. C. aut quo modo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deaeque pejus perdant quam cotidie perire sentio, si scio.	VI, 6 Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam, hoc tempore, di me deaequepejus perdant quam perire me cotidie sentio, si scio.

Eisdem igitur verbis confessio Tiberii, quae vocatur, ab auctoribus tradita est eundemque testem ambo esse secuti videntur.

Sed quid rectius est? Usque ad III, 40 nulla similitudinis vestigia inveniuntur; in sequentibus autem particulis nonnulla. Quo modo hoc factum est? Nullo alio nisi quod Suetonius diversis temporibus partes vitae Tiberianae descripsit. Primo tempore principis mores pro bonis civilibusque habuit. Deinde ad aliam sententiam adductus Tiberium monstrum fuisse con-

tendit. Cur autem ille commutatus sit, ne uno verbo quidem nos docet. Nam quod alteram partem verbis: „Regressus in insulam“ (III, 41) ordiri et incipere conatus est, non causam tali modo protulit, sed tempus. Sic distant inter se pars prior et altera. Nec in hac re ineptam conjecturam sequor, sed rectam eam esse aliis quoque iisque firmioribus argumentis comprobare possum. Quod ut adipiscar, altius repetere liceat! Suetonius enim sibi ipse instat, ut ita dicam, ternis locis. Quae post recessum a Tiberio in insulam factum III, 43 narrantur, exempla turpissimarum libidinum vitiorumque paene horrenda sunt. Non talia conjicere potest, qui antea in eodem Suetonio legit, quantopere doluisset Tiberius, — cum uxori priori nuntium remittere coactus esset (III, 7). Mirum admodum videtur, quod idem, qui cum Agrippina Vipsania non divortium nisi invitus fecerat gravemque se praebuerat contra Juliae libidines eamque quam plurimum devitaverat, postea flagitiosis et libidinosis voluptatibus se dedidit. Maxime autem mirum est, quod causam aliquam, cur commutatus esset Tiberius, non dixit. Eodem modo inter se pugnare videntur, quae Suetonius diversis locis tradidit, quem ad modum Tiberius in Juliam consuluisset. Narrat enim auctor primum (III, 11) illum ‚quamquam laetum nuntio‘ — scilicet damnatae Juliae — ‚tamen officii duxisse, quantum in se esset, exorare filiae patrem frequentibus litteris et vel utrumque meritae, quidquid unquam dono dedisset, concedere‘. Fere contrarirum idem postea egit (III, 50). ‚Juliae uxori tantum afuit, ut relegatae, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret, ut ex constitutione patris uno oppido clausam domo quoque egredi et commercio hominum frui vetuerit‘. Minime ab eodem utrumque hoc fieri posse nego; sed explicari ab auctore, cur alio tempore aliter egarit Tiberius, necessarium mihi videtur. Suetonius autem non causas exploravit neque cur princeps olim sincero uxoris amere inflammatus postea horribili se polluisset impudicitia neque cur misericordiam Augusto nondum mortuo de Juliae fortuna simulatam postea omisisset. Sed tertium jam hujusmodi exemplum respiciamus.

In prima parte inveniuntur haec: III, 39. Sed orbatus utroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romae ob-

ierat, secessum Campaniae petit!' Utriusque igitur mortem auctor eodem loco habet. In altera autem parte, etiam causam mortis fuisse Germanico per Cn. Pisonem legatum Syriae Tiberium credi' narrat. (III, 52.) Suetonius ergo ipse credidit non orbatum fuisse filio utroque principem, sed altero se ipsum orbum reddidisse. Sic se ipsum quasi emendat vel corrigit. Sed hoc non animadvertit aut, si animadvertit, cur distent priora a posterioribus verbis, non exponit. Causam autem explicare suum erat. Facillime enim aut prioribus ternis locis significare secuturos potuit fere contrarios aut posterioribus ternis se prius errasse addere potuit. Neutrum ei placuit, sed nulla re interposita commemorata facta narravit. Tantum spatio disjuncta sunt. Nam priores in prima parte insunt, in qua auctor Tiberium et bene vixisse et audivisse dicit; posteriores autem terni in altera, ubi principis mores ut deterrimos descriptos invenimus. Itaque non uno tenore neque continuo vita Tiberii a Suetonio esse descripta potest. Partes enim ejus distant inter se et in moribus descriptis adeo distant, ut eodem tempore eas ab auctore compositas esse minime credere possimus. Sed auctor non solum diversis temporibus in opere suo componendo versatus est, sed etiam diversos fontes secutus, quod jam supra vidimus et postea inveniemus. Sed quid Suetonium ad judicium suum commutandum impulit? Tacitum fuisse opinor. Tempora, quibus nostri editi sunt, jam supra terminavimus. Nec instat nobis, quod fere quattuor annis post Taciteos annales Suetonii in lucem prodierunt vitae. Nam diu in iis Tranquillum componendis versatum esse constat. Hoc tantum modo intellegere possumus, cur noster, qui in prima vitae parte ad describendi hominis favorem propensior fuerit, in altera auctores secutus sit, qui non ita censuerint. Suetonius primam jam partem absolverat, cum Tacitus annales suos in lucem emisit. His perlectis Tranquillus judicium de Tiberio factum commutavit, graviorem historicum secutus. Scilicet non illius verba transcripsit, sed ad illum spectans aliis auctoribus partim eisdem, quibus Tacitus, partim simili modo vel magis maligno modo judicantibus fidem habuit. Itaque quatenus fieri potuit, Suetonius descriptionem suam commutavit. Quod tantum in altera parte ei licuit. Sed ne priores narrationes jam per-

fectae fierent irritae, postea emendationes illas supra adscriptas addidit. Manifestiorem priore partem secundam esse ipse putabat omnesque ut ita censerent, fore sperabat. Quam ob rem priores locos illos ternos non delevit, sed scriptos manere statuit. Sed redeamus ad propositum! Suetonius et Tacitus nonnullis locis eundem fontem videntur esse secuti. Ubi Cassius Dio tertius adest, qui consentit, ad Aufidium Bassum hos perpaucos locos revocare velim. Multo difficilius conjici potest, unde Suetonius cum Tacito solo consentiens, ut ita dicam, hauserit. Nonnulla fortasse ex actis publicis sumpta sunt, quae ab utroque adscribuntur. Sed ita opinari non sufficit, quia jam in prima Suetonii parte (III, 5) diurna scriptura commemoratur. Sed cum perpauca tantum tradita sint, certius loqui non licet. Postquam autem Dionem cum Suetnnio comparaverimus, rursus ad hanc rem redire eamque exponere conabimur.

III. Suetonius et Dio.

Similitudines inter Suetonium et Cassium etiam inveniuntur, si Tacitus non tertio loco comparari potest. Ad quas examinandas exempla adscribemus, velut:

III, 26 Templa, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit, etiam statuas atque imagines nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra deorum sed inter ornamenta aedium ponerentur.	LVII, 9 *οὔτε τεμένισμα αὐτῷ οὐχ ὅπως αὐθαίρετον, ἀλλ' οὐδ' ἄλλως τότε γὲ ἐτεμενίσθη. οὔτε εἴκονα ἐξῆν αὐτοῦ οὐδενὶ στῆσαι. ἄντικρυς γαρπαραχρῆμα ἀπηγόρευσε... ποιεῖν. προςέθηκε μὲν γὰρ τῇ ἀποῤῥήσει ὅτι ἂν μὴ ἐγὼ ἐπιτρέψω, προςεπεῖπε δὲ ὅτι οὐκ ἐπιτρέψω.*

Simillimo modo ab ambobus idem refertur Tantum Cassius Tiberii statuas in aedibus permissas fuisse non addidit. Quod omisit, quia tantum tradere voluit Tiberium similiter diis coli noluisse. Quam ob rem recte verba adjecit: *προςεπεῖπε ὅτι οὐκ ἐπιτρέψο.* Nam Suetonius quoque statuas ne quis inter simulacra deorum poneret, Tiberium imperasse tradidit. Itaque non contra alterum alter disseruit, sed Suetonius accuratius tantum rem exposuit Dione.

III, 26 Ne Augusti quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis nisi ad reges ac dynastas epistolis addidit.	LVII, 8 *τὸ τοῦ Αὐγούστου πρόςρημα οὐκ ἐπέθετο... καὶ ὁσάκις γὲ βασιλεῦσί τισιν ἐπέστελλε, καὶ ἐκεῖνο προςενέγραφε.*

Si horum locorum similitudinem respicimus, non eam ita interpretari possumus, ut Cassius e Suetonio verba transcripserit. Nam Dio non plane eodem ordine neque eodem consilio narrat. Sed communem fontem ambo esse videntur secuti.

III, 30 Neque tam parvum quicquam neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad patres conscriptos referretur.	LVII, 7 *πάντα δὲ δὴ καὶ σμικρότατα ἔς τε τὴν γερουσίαν ἐσέφερε καὶ ἐκείνῃ ἐκοίνου.*

Idem a Suetonio accuratius, a Cassio brevius traditur. Sed ne uno quidem verbo distant inter se.

III, 31 quaedam adversus sententiam suam decerni, ne questus quidem est ..... ipsum quoque eisdem (consulibus) et assurgere et decedere via.	LVII, 7 *καὶ τἀναντία οἱ ἔστιν ὅτε ψηφιζομένων τινῶν ἔφερε.* LVII, 11 *τοῖς ὑπάτοις καὶ ὑπανίστατο.*

Hoc quoque loco Suetonius verbosioris descriptoris partes agit. Jam supra ad hunc allusimus, ubi de Cassii judicio locuti sumus. Nam de Tiberii principis prioribus sex annis simillime Suetonius et Dio judicant.

III, 32 Cum Rhodiorum magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederant, evocasset, ne verbo quidem insectatus ac tantummodo jussos subscribere remisit.	LVII, 11 *ἐπειδή ποτε οἱ Ῥοδίων ἄρχοντες ἐπιστείλαντές τι αὐτῷ οὐκ ὑπέγραψαν τοῦτο δὴ τὸ νομιζόμενον ... μετεπέμψατο μέν σφας σπουδῇ ὡς καὶ κακόν τι δράσων, ἐλθόντας δὲ οὐδὲν δεινὸν εἰργάσατο, ἀλλ' ὑπογράψαντας .. ἀπέπεμψε.*

Hic locus Dioneus manifestissime nos docet Cassium et Suetonium communi fonte usos esse. Minime autem Dio Tranquillum secutus est. Talis opinio nulla re probatur et sequentibus locis plane repudiatur.

III, 32 praesidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit: boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.	LVII, 10 *Αἰμιλίῳ γοῦν Ῥήκτῳ χρήματά ποτε αὐτῷ πλείω παρὰ τό τεταγμένον ἐλ τῆς Αἰγύπτου ... πέμψαντι ἀντεπέστειλεν ὅτι κείρεσθαί μουν τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι.*

Sine ullo dubio Cassius hoc loco Suetonium superat. Nam nomina refert et certo modo loquitur. Tranquillus parum recte plures procuratores ita egisse tradit. Omnino libenter generali modo narrat nominibus suppressis, velut jam supra (III, 61) vidimus plures puellas supplicio affectas esse, si illi credimus. Hoc improbrari sibi posse non credidit. At Suetonius idem suasisse praesides provinciarum, non *πέμψαι* narrat. Qua ratione commotus hoc fecerit, tantum opinari possumus. Rem traditam debilitare fortasse voluit, quia generaliter antea locutus erat. Pecuniam sub specie consilii missam esse potuit dicere, si sibi excusatus videri voluit. Cassium autem rem falso invenisse, nihil habemus, cur conjiciamus. Sane conjectura tantum rem exponere conamur. Itaque si viris doctis haec non placent, locum adscriptum obmittemus. Aliorum ad comparationem idoneorum numerus haud parvus adest.

III, 47 Paucorum senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negavit se aliis subventurum, nisi senatui justas necessitatum causas probassent.	LVII, 10 *τῶν δὲ βουλευτῶν συχνοὺς πενομένους ἐπλούτισεν οὐ μέντοι καὶ ἀκρίτως αὐτὸ ἐποίει, ἀλλὰ καὶ διέγραψε τοὺς μὲν ὑπ' ἀσελγείας, τοὺς δὲ ὑπό πτωχείας, ὅσοι μηδένα αὐτῆς λογισμὸν εἰκότα ἀποδοῦναι ἐδύναντο.*

Rursus hoc loco Cassius accuratius rem exposuit. Sed nullum Suetonio contrarium inveniri potest.

III, 57 Scurram, qui praetereunte funere clare mortuo mandarat, ut nuntiaret Augusto, nondum reddi legata, quae plebei reliquisset, adtractum ad se recipere debitum ducique ad supplicium imperavit, et patri suo verbum referre.	LVII, 14 *προςελθών τις πρὸς νέκρον διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐκφερόμενον καὶ πρὸς τό οὖς αὐτοῦ προςκύψας ἐψιθύρισέ τι, καὶ ἐρομένων τῶν ἰδόντων, ὅτι εἰρήκοι, ἐντετάλθαι ἔφη τῷ Αὐγούστῳ, ὅτι οὐδέπω μηδὲν ἐκομίσαντο. ἐκεῖνον μὲν γὰρ αὐτίκα ἀπέκτεινεν, ἵνα αὐτάγγελος αὐτῷ ὥς που καὶ ἐπισκώπτων εἶπε, γένηται.*

Simillima est amborum narratio. Dio tantum magis perspicue, Suetonius nimis jejune factum illud illustravit et narravit.

III, 61 Citati ad causam dicendam partim se domi vulneraverunt .... partim in media curia venenum hauserunt.

LVIII, 15 *οἱ δέ δὴ πλείους αὐτοὶ ἑαυτοὺς πρὶν ἁλῶναι διέφθειραν.*

Dio brevius de illis, qui se ipsos interfecerunt, narrat mortis generis ratione non habita. Sed facta eadem modo a Suetonio traduntur tantum accuratius, modo a Tacito confirmantur nominibus additis.

III, 61 In recognoscendis custodiis precanti cuidam poenae maturitatem respondit: „Nondum tecum in gratiam redii."

LVIII, 3 *δήσας γοῦν τινα τῶν ἑταίρων, ἔπειτα λόγου περὶ τῆς θανατώσεως αὐτοῦ γενομένου ἔφη ὅτι οὐδέπω αὐτῷ διήλλαγμαι.*

Singulariter Tiberii subridentis verba eodem modo a Suetonio et Cassio adscribuntur. At occasionem quidem subridendi diverse narrant. Quam ob rem dubitem, utrum hunc locum uterque ex communi fonte sumpserit necne. Nam nescio quid gravioris momenti sit, utrum dissimilitudo an similitudo. Si conjecturam proferre licet, fortasse verba illa Tiberii in omnium ore erat. Sed suo quisque modo occasionem addidit.

III, 62 ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur, cum et Gajum suspectum haberet et Tiberium ut ex adulterio susceptum aspernaretur. Nec abhorret a vero, namque identidem felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum extitisset.

LVIII, 23 *εἶχε μὲν γὰρ καὶ τὸν Τιβέριον τὸν ἔγγονον, ἀλλ' ἐκεῖνον ... μὲν διά τὴν ὑποψίαν, οὐ γὰρ ἐπιστεύετο τοῦ Δρούσου παῖς εἶναι, παρεώρα ... πολλάκις δὲ καὶ τὸν Πρίαμον μακαρίσας, ὅτι ἄρδην μετὰ τῆς πατρίδος καὶ μετὰ τῆς βασιλείας ἀπώλετο.*

Quod ad Tiberium nepotem spectat, Cassius causam addidit praeter illam sibi cum Suetonio communem, cur princeps senex nepotem aspernatus esset. Quam adjectam causam

Suetonius omittere potuit, quia jam antea de juventute Tiberii gemelli locutus erat.

Et quod ad sententiam de Priamo factam attinet, mihi, supertes omnium suorum' nullus alius videtur esse quam ,una cum patria et imperio plane interiturus'.

III, 65 Deinde spe affinitatis ac tribuniciae potestatis deceptum (Sejanum) inopinantem criminatus est, pudenda.... oratione, cum .... patres .... precaretur, mitterent alterum e consulibus, qui se senem et solum in conspectum eorum .... perduceret. Sic quoque diffidens tumultumque metuens, Drusum nepotem quem vinculis adhuc Romae continebat, solvi, si res posceret ducemque constitui praeceperat. Aptatis etiam navibus ad quascumque legiones meditabatur fugam.

LVIII, 9 *προκαϑεὶς τὸν λόγον ὅτι τήν γὲ ἐξουσίαν οἱ τὴν δημαρχικὴν (τῷ Σηϊανῷ) δώσοι, ὅπως ἀπροςδόκητον αὐτὸν ὅτι μάλιστα λάβῃ*... 10 .. *ὡς γοῦν οὐδὲ τὴν ὁδὸν ἀσφαλῶς ποιήσασϑαι δυνάμενος, τόν ἕτερον τῶν ὑπάτων μετεπέμψατο*... 13... *πλοῖα παρεσκευάσατο, ἵνα, ἄν τι τοιοῦτο συμβῇ, διαφύγῃ, τῷ τε Μάκρωνι, ὥς τινές φασιν, ἐνετείλατο, ὅπως, ἄν τι παρακινήσῃ, τὸν Δροῦσον ἔς τε τὴν βουλὴν καὶ ἐς τὸν δῆμον ἐσαγάγῃ καὶ αὐτοκράτορα ἀποδείξῃ.*

Occurit igitur nobis similitudo etiam in continua narratione. Nam quae adhuc adscripta erant, tantum brevia sunt. Ac singularis hic locus existit, quod non mirum est, si Taciti librum quintum periisse memores sumus. Fortasse tertius erat, qui fere eodem modo de Sejani conjuratione, quae vocatur, narravit. Quod eo magis conjici potest, quia particula quaedam narrationis adscriptae, in qua de Druso nepote agitur, in Tacito, sed postea (VI, 23) invenitur. De qua re jam in priore parte locuti sumus ad illum locum spectantes (Tac. ann. VI, 23 et Cass. LVIII, 13).

III, 71 cum in quodam decreto patrum *ἔμβλημα* recitaretur, commutandam censuit vocem .... Militem quoque Graece testimonium inter-

LVII, 15 *ἐπεὶ δὲ διηπόρησάν τινες, εἰ καὶ τὰ ἀργυρᾶ τὰ χρυσοῦν τι ἔμβλημα ἔχοντα ἀπηγορευμένον σφίσιν εἴη κεκτῆσϑαι... ἐκώλυσεν ἐς αὐτὸ το*

rogatum, nisi Latine respondere vetuit.	ὄνομα τὸ τοῦ ἐμβλήματος ὡς καὶ Ἑλληνικὸν ἐμβληθῆναι.. καὶ ἑκατοντάρχου ἑλληνιστὶ... μαρτυρῆσαί τι ἐθελήσαντος οὐκ ἠνέσχετο.

Hoc loco Cassius verbosius rem exposuit, sed ne uno quidem verbo contra Suetonium disseruit.

Locis his comparatis non negare poterimus Suetonium et Cassium nonnunquam eodem fonte usos esse. Qualis fuerit hic testis, colligere possumus, si narrationem Sejani conjurationis excipimus. Fons enim ille non continuam narrationem continuit, sed singula, maxime morum exempla, simili modo narrabantur. Quam ob rem alio ordine alio tempore auctores illa commemoraverunt. Talis fuit communis ille fons. Sed quis fuerit, nescimus. Carolus Nipperdey (praef. XXI. et XXII) Suetonium Servilio Noniano usum esse putavit. Quo jure ita opinatus sit, non invenio. Nam perpauca tantum de Noniano tradita sunt. (Plin. epist. I, 13; Quintil. X, 1, 102; Tac. dial. de orat. 23). Sed Suetonio in ipso nititur. Qui (III, 61) haec narrat: ‚Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quodam convivio, cui et ipse adfuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano astante mensae inter copreas, cur Paconius majestatis reus tam diu viveret, statim quidem petulantiam linguae objurgasse ceterum post paucos dies scripsisse senatui ut de Paconii poena quam primum statueret‘. Non crediderim verbum: „ipse“ ad „consularem“ referendum esse. Melius percipi potest locus, si ad Tiberium illud revocatur. Sed utcumque res est, de Noniano parum certa scimus. Aliorum vestigia aeque invenire nequeo. Sed omnino non oportet auctores quendam fuisse fontem communem. Nihil est cur opinionem repudiemus ab ambobus nonnulla ex actis populi sumpta esse. Etiam illa, quae contra principem narrantur, e diurna scriptura, ut ita dicam hauriri potuerunt. Nam Tiberius convicia in se conjecta saepius colligi et recitari jussit, quia illis rumoribus sermonibusque superior esse sibi videbatur. Quia autem jam Tacito cum Suetonio comparato acta fuisse fontem conjecimus, nostrum est hanc opinionem locis ipsorum scriptorum probare. Concedatur igitur mihi, ut verba ab auctoribus ad diurna acta revocata conferam.

Qua in re Huebneri doctissimi viri dissertationem supra adscriptam sequar, qui accuratissime hanc rem exploravit et falsa quaedam exempla prius parum intellecta refellit.

Sunt in Taciteis annalibus quinque: III, 4; XII, 23 XII, 24; XIII, 31; XVI, 21. ;

Sunt in Suetonio quinque: I, 20; III, 5; IV, 8; IV, 36; V, 41.

Sunt in Cassio, quatenus de Caesarum historia agit, septem: XLVII, 11; XLVIII, 44; LVII; 12; 21; 23; LX, 33; LXVII, 11.

Certius de fonte communi loqui non decet, quia perpauca tantum nobis nota sunt. Sed solacium nobis praebet Mommsen doctissimus et sagacissimus vir, qui (in: Hermes IV, pag. 318) dixit magis interesse res quam nomina inveniri. Rebus autem satis clare fontem communem significari putem.

IV. Vellejus et ceteri tres auctores.

Restat ad propositum nobis absolvendum de quarto scriptore loqui, qui Tiberii tempora exponere conatus est. Unus aequalis est Vellejus, sed propter consilium, quod inierat, fidem ei habere non possumus. Sed de hac re jam prius diximus. Hoc loco nostrum est exquirere, num in posterioribus auctoribus vestigia ejus insint. Quodsi eum cum Tacito comparamus, ne minima quidem indicia communis fontis inveniuntur, nedum similitudines insint. Nec quisquam de hac re dubitare ausus est. Omnes ita censuerunt. Alia res est, si Suetonium spectamus. Henricus Reichau enim (pag. 9) nonnulla protulit, quae ad fontem quendam communem revocare vult. Examinemus igitur haec!

II, 94 quaestor ... maximam .. difficultatem annonae ac rei frumentariae inopiam ... mandato vitrici moderatus est.	III, 8 curam administravit annonae, quae artior inciderat.

Suetonius tantum narrat Tiberio annonae curam mandatam esse. Vellejus autem multo verbosius de hac re disseruit. Unum verbum „annonae“, quod devitari omnino non potuit, solum iis commune est.

II, 94 cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem populi Romani regnum ejus Artavasdi dedit.	III, 8 ... ducto ad Orientem exercitu regnum Armeniae Tigrani restituit.

Propter nominis dissimilitudinem jam opinionem refellere possumus hunc locum ex eodem auctore sumptum esse. At dicat aliquis Tigranem esse nomen appellativum! Suetonium igitur tantum nomine proprio omisso cum Vellejo consentire. Sed Tranquillus haud dubie putavit Tigranem esse nomen proprium. Quam ob rem fontem communem nego.

II, 96 Hujus victoriae compos Nero ovans triumphavit. | III, 9 Quas ob res et ovans et curru urbem ingressus est.

Vellejus causam ovandi fuisse Pannonicum bellum dicit, Suetonius tria bella Raeticum, Pannonicum, Germanicum.

II, 99 Tiberius Nero ... mira quadam et incredibili et inenarrabili ... pietate ..., ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis, dissimulata causa consilii sui commeatum ab socero petiit. | III, 10 statuit repente secedere ... dubium, uxorisne taedio .. an ut ... auctoritatem absentia tueretur ... quidam existimant, adultis jam Augusti liberis sponte cessisse ... ne aut obstare aut obtrectare praesens videretur ...

Qua in re non levis momenti est, sequentia Suetonii verba respicere: „Quam causam et ipse, sed postea reddidit.“ Nam Vellejus principem secutus illam causam commemorat solam. Suetonius dubitavit autem, num Tiberio fidem haberet. Quae Vellejus sine ulla suspicione tradit, in Tranquillo praeter alias causas proferuntur. Nonne autem verba illa ultima Suetonii ad eundem fontem revocanda sunt, ad quem Vellejana? Minime; nec Vellejum secutus est Tranquillus, sed ‚commentario illo, quem de vita sua summatim breviterque composuit‘ Tiberius, esse usus videtur. Qua Paterculus uti non potuit, quia prius principe mortuus est (cf. Suet. III, 61 de commentario).

Itaque non contigit nobis, ut similitudines in vita Tiberii Suetoniana et in Vellejo invenirentur. Sed quo modo judicandum est de loco illo, quem Henricus Reichau e vita Augusti, qualem Suetonius descripsit, in dissertatione sua adscripsit?

II, 123 Caesar Augustus cum ... Tiberium filium missurus esset in Illyricum ... prosequens eum ... processit in Campaniam. Quamquam jam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat, tamen obnitente vi animi prosecutus filium digressusque ab eo Beneventi ipse Nolam petiit | II, 97 Tiberium igitur in Illyricum dimissurus et Beneventum usque prosecuturus. 98 ... Mox Neapolim trajecit, quamquam etiamtunc infirmis intestinis morbo variante ... cum Tiberio ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo adgravata valetudine, tandem Nolae succubuit revocatumque ex iti-

et ingravescente valetudine... festinanter filium revocavit; ille ad patrem .. revolavit. Tum securum se Augustus praedicans ... subrefectus ... animam coelestem coelo reddidit.	nere Tiberium diu secreto sermone detinuit neque post ulli majori negotio animum accommodavit... 99... obiit...

Quo quidem loco Vellejum et Suetonium communi fonte usos esse concedi potest. Sed tantum hoc conjicere licet. Sin quis putat a Suetonio verba Paterculi transcripta esse, nulla re probatur, velut Vellejus Augustum in initere Nolam persecutum esse dicit. Tranquillus autem principem rediisse jam, cum Nolam peteret, nos docet. Ille Campaniam ab Augusto in itinere petitam esse primum tradit. Suetonius autem principem Neapolim transiisse addidit. At haec levia sunt, si communem fontem duobis illis auctoribus fuisse conjicimus. Neque mirum est, quod Vellejus auctore alio usus est, quia rebus extremis Augusti non ipse interfuerat. Omnino de permultis in principis aula rebus gestis parum instructus est. Nec nimis contra veri similitudinem instat, si opinamur Vellejum, cum ad scriptorem alium adhibendum coactus esset, in eundem incidisse, in quem postea Suetonium. Sed sola est haec similitudo.

Quod ad Cassium Dionem attinet, libri LVII. et LVIII. ne minimam quidem speciem similitudinis cum Vellejo comparandae praebent. Utrum autem aliter de duobus libris praecedentibus judicandum sit necne explorare conabimur. Uterque enim auctor maximam illam Pannoniorum seditionem satis accurate descripsit. Sed jam causae diverso modo ab iis exponuntur. Si Cassium audis, gentes illae *ταῖς ἐσφοραῖς τῶν χρημάτων* (LV, 29) iratae hostes Romanorum infensos se praebuerunt. Vellejus autem (II, 110) populum fuisse ‚insolentem longae pacis‘ et Delmatiam ‚adultam viribus‘ scribit. Idem ab ‚universa Pannonia‘ seditionem inceptam esse contendit. Cassius autem tantum paullatim singulas gentes ad rebellandum accessisse narrat. *Τὸ μὲν πρῶτον ὀλίγοι τινὲς ἐνεωτέρισαν ... ἔπειτα δὲ ἐκ τούτου καὶ οἱ ἄλλοι προςαπέστησαν.* Quam ob rem eo magis miramur Vellejum, quia haec adjecit: ‚nulla unquam natio tam

mature consilio belli bellum junxit', quamquam ,hercules' addidit. Solus idem Paterculus de crudelitate hostium loquitur et queritur. Scilicet Caecinae Severi victoriam silentio tegit, quia tantum Tiberio reduce victoriam rediisse dicit. (II, 111). Cujus reditus utilitatem necessitudinemque celerrimam permultis verbis explicat. Deinde in utroque scriptore sequitur pugna a Cotta Messalino contra Daesidiatem Batonem commissa. Qua de re Dio haec tradit (LV, 30) *ὁ Βάτων ἀπήντησε τῷ Μεσσαλίνῳ καίπερ μηδέπω καλῶς ἔχων, καὶ ἐπικρατέστερος αὐτοῦ ἐν παρατάξει γενόμενος ἔπειτ' ἐξ ἐνέδρας ἐνικήθη.* Vellejus autem eadem hoc modo (II, 112) describit: ,Qui vir ... subita rebellione cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius viginti milia hostium fudit fugavitque! Quodsi Paterculo fidem habes, Messalinus, subita rebellione clausus et in malam conditionem coactus est. Sin Cassio credimus, primo a Batone, quamquam is non locis opportunitate adjutus erat, Romani in acie superati sunt. Postea autem *ἐξ ἐνέδρας* devictus est. Tamen Vellejus hostium aciem a Messalino perruptam esse simulat vel fingit.

Adeo distant auctores. Neque idem tradunt de regione, in qua Rhoemetalces, Thracum rex, iterum cum hoste pedem contulit. (II, 112 et LV, 30). Itaque summatim dicere possumus Cassium non eodem, quo Vellejum, usum esse fonte, nedum illum secutus sit. —

Omnino igitur, si jam sententiam de fontibus nostram paucis verbis complectimur, ante omnia Vellejus a ceteris separandus est, quia unus laudator est. Qua re melius quanti aestimandus sit ab historicis, exponitur quam longa dissertatione fieri potest. Contra Paterculum instant tres auctores, qui historiam tradere statuerunt. Qui nonnullis locis eosdem fontes secuti sunt, compluribus diversos. Nec dolere nec vituperare hoc possumus. Nam hoc modo diversam, ut ita dicam, traditionem nobis conservarunt. Supplementa alterius alter dedit. Vellejus autem non pro tali historico habendus est. Scilicet non plane omittet eum, qui historiae Tiberianae operam dat. Sed percaute illo utetur. Tantum autem suspicionem non contra ceteros tres concipiet. Minus quatenus verum dicere voluerint quam quatenus potuerint, ex his quaeremus. Qua in re ne

Velleji panegyricus quidem prorsus ineptus est. Nam si illos cum Paterculo contulerimus, nonnunquam melius intellegemus, cur hic modo res verbis auxerit, modo debilitaverit, modo facta silentio texerit, modo levia adjecerit. Sic hoc loco contrariis non perturbamur, sed nonnunquam multo certiores fimus.

Sed redeamus ad historicos illos tres! Propius examinemus, nonne nobis contingere possit exponere quo modo traditio historica — si Gelliano verbo uti licet — orta, commutata, confirmata sit. Fontes, quos conjecimus, erant praeter acta populi scriptores, inter quos ille Tacito et Dioni communis commentarios senatus secutus esse videtur vel secutus est. Praeterea Tacitus (II, 32; VI, 15) et Suetonius (III, 5) fastos adscribunt et scriptores, de quibus jam supra locuti sumus. In Dione autem perpauca tantum inveniuntur, quae non in uno alterove jam repperisti.

Quo modo fere hae traditiones cognosci possunt: Prima et veterrima est Vellejana; sequitur Suetoniana in prima parte, deinde fons communis Tacito et Dioni, postremo altera pars Suetonii. Sic nobis libri et traditiones esse secuta videntur, si tantum auctores conservatos respicimus. Sed sine ullo dubio non traditio historica tali modo commutata est. Nam Tacitus nonnulla verba continet, quae contra opinionem illam sunt. Gravissima autem sunt et maxime idonea ad illustrandam traditionem, quo modo orta et commutata sit. Dicit enim I, 1 ‚Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatnm et caetera, sine ira et studio‘. Apertis igitur verbis contrarias fuisse traditiones morumque descriptiones contendit. Quorum nonnullas fuisse propter adulationem falsas, alias nimiis odiis corruptas dicit. Sic horum verborum ratione habita fontes nobis conservatos respicimus, Vellejus ex illo auctorum genere est, qui vivis principibus saepius falsa retulerunt. Sane non ob metum, sed ob adulationem panegyricus ille compositus erat. Sed cur non recte scriptum sit, hac in re nihil refert. Res parum accurate traditas esse gravius est. Quis autem auctorum, qui ad nostra tempora venerunt, opus suum recentibus odiis composuit vel talem fontem secutus

est? Veterrima post Vellejum est Suetonii prior pars. Sed in ea auctor neque adulatur neque conviciatur. Fortasse autem Tacitus et Cassius talem fontem secuti ssnt. Quam rem ut accuratius exponere possimus, altius repetere liceat! Reipublicae enim statum respici oportet. Prioribus temporibus post Carthaginem Corinthumque deletas Romani aut senatoriam aut Gracchanam partem secuti sunt, donec G. Julius Caesar non sine popularium auxilio optimatum auctoritatem funditus evertit. Sed factiones illae usque ad Actiacam victoriam floruerunt, nominlbus tantum commutatis. Senatorii appellabantur reipublicae liberae defensores. Populares autem plurimi unius dominationi adhaerebant. Quae contrariae partes perierunt, postquam Augusto mortuo nemo consilium restaurandae senatoriae auctoritatis inire conatus est. Imperatoria domus ipsa principatum ita confirmatum esse putabat, ut disceptare liceret inter Julios et Claudios ad unius gentis vinculum ab Augusto redactos. Juliorum dux et signifera erat Agrippina, quae maritum suum, Germanicum Claudium, plane moderabatur. Juliorum esse imperium illi feminae persuasum erat. Sed Augusto mortuo Tiberius Claudius Nero imperium accepit. Quod ut irritum fieret, Agrippina omni modo studuit. Exercitus et populum sibi conciliare conata est. Tiberius autem potentiâ sua et Germanici sinceritate usus illam superavit. Sane post ejus mortem Agrippinae filius ad principatum provectus est. Juliam gentem pro nobilissima habuit, quam ob rem libenter ‚praedicabat matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam‘ (Suet. IV, 23) Tiberii acta nonnulla resolvi jussit. Illo tempore Seneca, philosophi pater, historiam aetatis suae descripsit. Et conjicere licet ‚recentibus odiis‘ in Tiberium ab illo opus compositum esse, ut Gajo placeret (S. III, 73). Quod probatur a Lehmanno. (De Claudio et Nerone-Gothae MDCCCLVIII pag. 155.)

Deinde Caligula interfecto Claudius princeps factus est, Germanici frater, e gente Claudia natus. Paucis quidem annis post Messalinae obitum ipse Claudiorum exstirpationem acceleravit Agrippina juniore in matrimonium ducta. Ab illo tempore Juliorum sententia de Tiberio vicit. Ab ipsa illa, qua maxima regnandi cupiditate flagrabat, compositi sunt commentarioli, quos

Tacitus (IV, 53) adscripsit. Denuo recentibus odiis contra Tiberium commoti auctores opera sua composuerunt. Principatus ita firmo fundamento constitutus erat, ut nihil interesset, utrum succedens praecedenti calumiando conviciaretur necne. At quo modo ante Claudii nuptias cum Agrippina scriptum est? Princeps doctissimus e Claudiorum gente natus et a Gajo ludibrio habitus non ex se ipso male de Tiberio judicabat. Quo regnante ‚nunquam aut officium hominum aut reverentia publice defuit‘ (V, 6 Suet.) ei. Ipse igitur, Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeî theatrum peregit‘. (V, 11.) Quam ob rem non a veri similitudine abhorret tum auctores non ita in Tiberium invectos esse, sed magis aeque et juste judicavisse. Minime autem tum ‚ob metum‘ ad corrumpenda facta perducti erant. Hujus temporis judicium in Suetonii prima parte et Dioneis locis, qui illi respondent, esse nobis conservatum videtur. Deinde autem redintegratum est odium Agrippina regnante. Hujus judicium in Tacito et, ubi Cassius respondet, conjiciam. Eo magis hoc opinari licet, quia Aufidium Bassum illo tempore vixisse Nipperdey exposuit. (In Mus. Rhen. XVII, pag. 438—442); (Lehmann l. c. pag. 151.)

Traditiones igitur secutae sunt fere hoc modo: ‚Florente Tiberio‘ res falso compositae sunt, postquam occidit, recentibus odiis. Deinde aliquis sine ira et studio scribere conatus est fortasse usus actis publicis. Tum denuo odium erupit in Tiberium et vicit. Nam fere omnes graviores antiquitatis scriptores eandem sententiam de Tiberio tulerunt, quam Tacitus, qui Juliano judicio Agrippinae favit.

Quod contendimus, non adeo simplex et dilucidum est, ut sine ullo dubio sit. Sed respondet judicio illi, quod jam Dr. Wilmans sine ira et studio de Cassio Dione tulit. Nihil sententia nostra Suetonii meritis detrahimus, sed genus ab illo adhibitum historicis prodesse libenter confitemur. Nec minus conjectura nostra respondet virorum doctissimorum Mommsenii et Nissenii dissertationibus de Taciteis historiis. Non debilitatur gloria rhetorica Taciti, si historicum errasse explicatur.

VITA.

Henricus Philippus Maximilianus Thamm Strigoviae die V. mensis Februarii anno MDCCCLII natus sum. Prima litterarum elementa pater meus ipse, puellarum scholae evangelicae Strigoviensis rector, me docuit. Patrem et matrem e gente Eyraud natam, adhuc vivos veneror. Novem annos natus in scholam Boleslaviensem cum orphanotropheo regio conjunctam receptus sum. Quattuordecim annos natus fidem evangelicam ipse professus sum et gymnasium Lignitiense frequentare coepi. Deinde post paucos menses ad Javoriensis gymnasii discipulos adscriptus sum, unde anno MCCCLXX mense Februario maturitatis examine superato dimissus academiam Berolinensem adii historiae operam daturus. Anno LXXI h. s. Heidelbergae et Lipsiae studia persecutus sum, unde LXXII Berolinum redii. Per octo omnino semestria scholis interfui: philosophicis Werderi, Ahrensii, Zelleri, historicis Rankii, Droyseni, Hasseli, Mommseni, Wattenbachii, Treitschkii, Nitzschii, geographicis Pescheli, Kieperti, philologicis Hauptii, Huebneri, Baehrii, Ritschlii, Georgii Curtii, Ernesti Curtii, Kirchhoffii, theodiscis Muellenhoffii, Zarnckii, Bartschii, oeconomicis Roscheri, Wuttkii exercitationes historicas de annalibus Carolingicae aetatis adii. Nitzschii exercitationes de Ottone episcopo Frisigensi, de chronico Wormatiensi et Lubecensi semper frequentavi. Droysen quoque aditum ad privatissimas lectiones de saeculi XVII historia mihi aperuit. Quos viros omnes optime de me meritos grato semper animo profitebor.

In philosophia praecipue Platonis scriptis cognoscendis operam dedi. In historia antiquorum temporum praeter illos, de quibus in dissertatione egi, Thucydidem et Sallustium legi. Quod ad historiam medii aevi attinet, Friderici regis expeditionem primam Romanam ad dignitatem imperatoriam recuperandam propius accessi. Si ad recentioris aevi historiam spectamus, Gasparum Scioppium cognoscere statui.

Omnibus autem praeceptoribus meis et in gymnasio et in alma litterarum universa Berolinensi, Heidelbergensi, Lipsiensi semper maximam gratiam habebo.